Dec. 1938.

Hume Repl.
p. 1574.

<36622208160011

<36622208160011

Bayer. Staatsbibliothek

Comparauit

P. STEPHANUS WIEST ordinem Ciſtercienſium Profeſſus in Alterſpach, Philoſophiae et SS. Theologiae Doctor, Sereniſſ. Principis et Electoris Palatino-Bauarici Conſiliarius Eccleſ. Actualis, Theologiae dogmaticae, Patrologiae, et Hiſtoriae litterariae Theologicae in Alma Catholica Vniuerſitate Ingolſtadienſi Profeſſor publicus ordinarius.

179

CHRISTIANI GVIL. FRANC. WALCHII

THEOLOG. DOCT. ET PROF. ORDINAR. IN ACADEM. GEORGIA AVGVSTA

COMPENDIVM HISTORIAE ECCLESIASTICAE RECENTISSIMAE

VT

COMPENDIO HISTORIAE ECCLESIASTICAE GOTHANO SVPPLEMENTO SIT

ADORNATVM.

GOTHAE

SVMTV IOANN. ANDR. REYHERI

CIↃ IↃ CC LVII.



ILLVSTRISSIMO

DOMINO

BVRCARDO CHRI-STIANO

S. ROM. IMP. BARONI

DE BEHR

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE

REGIS ET ELECTORIS BRVNSVICENSIS

A CONSILIIS INTIMIS ET STATVS

PVBLICI ADMINISTRO

DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO

SACRVM.

[illegible]

NON *potui mihi imperare*, *quin* TIBI, *ILLVSTRISSIME BARO*, *ſummae ac perpetuae venerationis*, *quam in* TE *colendo mihi conſtitui*, *monimentum dedicarem. Quamuis omnibus*, *qui Germano nomini bene cupiunt*, *communes ſint rationes*, TE *atque maxima* TVA *merita admirandi*, *quibus tum rem publicam omnem*; *tum ſanctiorem eorum*, *qui purioribus ſacris addicti ſunt*, *coetum*; *tum denique vniuerſa litterarum genera ornaſti et auxiſti*; *tamen*, *praeter has*, *aliae mihi-*

que domeſticae cauſſae me impellunt, vt publico teſtimonio me in eorum numero eſſe, profitear, qui TE *ſuſpiciunt et ſubmiſſa proſequuntur pietate. Etenim a quo tempore mihi, ignoto homini, datum fuit, in* TVVM *prodire conſpectum, excelſum et beneficum* TVVM *animum mihi aduertiſti eumque clariſſimis indulgentiae* TVAE *documentis ita declaraſti, vt gratias,* TIBI, DOMINE, *agendi, officio nullum mihi ſanctius impoſitum eſſe, ſentiam. Hae quidem ſunt cauſſae, cur* ILLVSTRISSIMO TVO *nomini exiguum libellum conſecrare* TE*que ſummo opere rogare, mihi ſumam, vt eadem comitate benignitateque, quae vno omnium ore celebratur, illum accipias meamque in* TE *pietatem, quam illum tum* TIBI, *tum aliis cupio demonſtrare, aliquantum patiaris comprobari. Fateor*

teor certe, quaecumque a me proficiſcuntur, haud digna eſſe, quae TIBI, *litterarum omnium, maxime hiſtoricarum, peritiſſimo acutiſſimoque iudici, tradantur; ſumma tamen iudicii* TVI *aequitas, quam memini ſaepius me experiri, omnem ex animo eripit metum certiſſimamque mihi adfert ſpem, futurum eſſe, vt laboris mei pretium magis ex dignitate vtilitateque argumenti rectaque auctoris voluntate, partibus ſuis ſatisfaciendi; quam ex illius ingenio; aut doctrina; aut aliis ornamentis, quibus caret opuſculum, aeſtimes.*

Qui TE, *ILLVSTRISSIME BARO, patriae columen et decus, mihi meiſque muſis praeſidium conceſſit, immortalem Deum pie precor, vt* TE *ſeruet: vitam* TVAM *longe extendat* TVORVM*que conſiliorum; quae pleniſſima eſſe ſolent prudentiae*

tiae hisque prouinciis maxime salutaria, exitum fortunatissimum esse, velit. Ita enim eueniet, quod vt eueniat, boni omnes exoptant, vt augustissimi REGIS *nostri de* TE *opinio et spes abunde confirmetur: nominis* TVI *gloria rerum, a* TE *gestarum, laudibus cumuletur ac decora* TVA *nouis accessionibus indies augeantur. Vt* TVA *indulgentia me amplecti, pergas measque musas in* TVA *tutela adquiescere, sinas, deuota mente* TE *obtestor. In academia regia Georgia Augusta, calendis mai. ann. christian.* CIↃIↃCCLVII.

AD

AD

AMICVM LECTOREM ADLOQVVTIO.

HABES hic rerum, noſtra aetate in chriſtiana ciuitate geſtarum, epitomen. Quam vt componerem, ampliſſimi IOANNIS ANDREAE REYHERI voluntas, cui nolui repugnare, facile effecit. Quum venerandus ſenex pro laudabili, qui in illo eſt, lit-

terarum ſtudia iuuandi ardore cepiſſet conſilium, celebratiſſimum *hiſtoriae eccleſiaſticae compendium*, quod inter immortalia beneficia, ab *ERNESTO PIO*, Saxoniae Gothanae duce, in re chriſtiana et euangelica collocata, haud infimum tenet locum, nouis acceſſionibus augendi, humaniſſime me rogauit, vt committi, paterer, meae fidei prouinciam, quam poſt primos libri ſcriptores, VITVM LVDOVICVM SECKENDORFIVM et IO. CHRIST. ARTOPOEVM, theologus magni nominis, ERNESTVS SALOMO CYPRIANVS, praeclare adminiſtrauit. Decretum itaque fuit, vt ab anno huius ſeculi vigeſimo tertio, in quo CYPRIA-

NVS desiit, rursus inciperem, facto-
rum narrationem prosequi. Sed de-
stiti de hac sententia, postquam intel-
lexi, multa nostro seculo contigisse,
quae a CYPRIANO sunt omissa, licet
notitia illorum nemo recte carere que-
at, et tractandi ordinem, quo vsus est
vir celeberrimus, ipsi necessitatem im-
posuisse, quae arctius inter se coniun-
cta sunt, diuellendi. Iure igitur meo
et ipso exemplo CYPRIANI, qui pri-
mus immutauit dicendi normam, quam
SECKENDORFIVS et ARTOPOEVS
sibi praescripserant, nouas huius epi-
tomes conscribendae leges mihi con-
stitui, quas, spero, tibi, LECTOR, fa-
cile posse probari. Omnia, quae ad
histo-

historiam huius seculi ecclesiasticam referri oportet, in suas classes distribui: quaecumque a CYPRIANO copiose dicta sunt, attigi breuiter; ea vero, quae ab illo neglecta; aut minus recte tradita, sedulo & adcurate exposui: praestantissima harum rerum monimenta numquam non commendaui, vt sciant, quos consulere possint, lectores, vberioris notitiae cupidi: animum denique, non partibus; sed veritati studiosum vt seruarem et vbiuis ostenderem, summopere laboraui. Maximam opusculi partem consecrare me oportuit controuersiis enarrandis, quarum numerum nostra aetate insigniter auctum fuisse, neminem fugit. In his tractan-

tractandis ita versari libuit, vt breuior essem in illis, quas pater meus venerandus in decem de litibus religiosis voluminibus summa cura persequutus est; in his vero copiosior, quas ipse aut strictim attigit; aut enarrare non potuit, quod finito demum vasto opere fuerunt concitatae. Haec potissimum de bellis deisticis dicta sunt, quae vt omni diligentia exponerem, temporum nostrorum rationes a me efflagitarunt.

Hominem me esse; neque humani quidquam a me alienum, non ignoro. Non possum igitur sperare, fore, vt in nulla re a me peccatum esse, inuenias. Ignoscas quaeso erroribus, si

quos offenderis, eosque sine malitiae culpa a me commissos, tibi persuadeas. Benignissimum numen veneror, vt laetiora tempora suo gregi illis concedat, quae, tristi saepius animo, descripsi. Reddat pacem: conciliet doctorum animos: excitet et amplificet pietatis studia: auertat mala quaeuis et quotidie numerum eorum augeat, qui non solum ore; sed vitae etiam sanctioris exemplis se ad christianam ecclesiam pertinere, demonstrent. In academia regia Georgia Augusta calend. mai. ann. a partu virginis CIↃIↃCCLVII.

COM-

COMPENDIVM
HISTORIAE
ECCLESIASTICAE
RECENTISSIMAE

CAPVT PRIMVM.

DE

DOCTORIBVS RELIGIONIS CHRISTIANAE ILLVSTRIBVS.

§. I.

QUum visum mihi decretumque est, res, in vniuersa illorum, qui christianis sacris se operam dare profitentur, ἐκκλησια gestas ab anno nostri seculi vicesimo tertio vsque ad nostra tempora tradere et complecti, imitari libet praestantissimos historicos, qui huius generis narrationem ab illustrium virorum, qui ore scriptisque christianam ciuitatem illustrarunt, memoria posteris commendanda exordiri consueuerunt. Etenim nostrae aetati iniuria denegatur laus, quam ei insignium doctorum, quos protulit, numerus et praestantissimorum, quae illi reliquerunt, monimentorum copia adfert. Habet vero quaeque inter varias

christianorum partes egregios scriptores, de quibus glorietur; nec fas est, eos a nobis quasi misceri et in vnum colligi corpus, qui sententiarum discrepantia longissime inter se dissident. Primum ergo locum dabimus nostrae reipublicae, quae LVTHERI sectatur disciplinam, ciuibus: secundum illis, qui CALVINI opinionibus addicti sunt: tertium Romani Pontificis cultoribus: quartum Graecis: quintum denique Arminianis, notatis anni numeris, quo quisque illorum ex hac vita migrauit.

§. II.

Ex nostratibus per omne seculum multi et ingenii et doctrinae laude floruere, quorum nomina, a CYPRIANO, nescio, quonam consilio, praetermissa, iunctim percensebimus. In his suo iure locum obtinent:

FRIDERICVS VLRICVS CALIXTVS, theologus Helmstadiensis & abbas Regio-Luttetanus, paternarum sententiarum vindex acerrimus, mortuus anno seculi huius I.

FRIDEMANN. BECHMANNVS, qui in Ienensi musarum sede primum philosophicas, dein sacras litteras docuit, vitamque finiuit ann. MDCCIII.

BERNARDVS SANDIVS, theologus Regiomontanus, ann. CIↃIↃCCIII.

LAVRENT. NORMANNVS, qui sacras litteras in Vpsalienſi academia tradidit ac decessit ann. huius seculi III.

CHRI-

CHRISTOPHORVS FRANKIVS, primarius Kilonienſium doctor, ann. CIↃIↃCCIV.

IOANNES REINHARDVS HEDINGERVS, qui Giſenſem academiam, poſtea aulam Stuttgardienſem pie ornauit, ann. CIↃIↃCCIV.

IOANNES WINKLERVS, poſt varia munera in prouinciis Rhenanis adminiſtrata, ad gubernanda Hamburgenſium ſacra acceſſit, *ſenioris* titulo conſpicuus, ann. CIↃIↃCCV.

PHILIPP. IACOB. SPENERVS, qui ampliſſimis officiis Argentorati, Francofurti ad Moenum, Dreſdae, tandem Berolini functus, maximam nominis et meritorum gloriam reliquit, ann. CIↃIↃCCV.

PHILIPPVS LVDOV. HANNEKENIVS, theologus Giſenſis et Wittenbergenſis, ann. CIↃIↃCCVI.

ELIAS VEIELIVS, Vlmenſium ſacrorum antiſtes, ann. CIↃIↃCCVI.

IOANNES DEVTSCHMANNVS, Vitebergenſis theologus, primarius, ann. CIↃIↃCCVI.

IOANNES GEORG. NEVMANNVS, qui in eadem academia ſanctiores diſciplinas docuit, ann. CIↃIↃCCVIIII.

HECTOR GOTTFR. MASIVS, in Hafnienſi muſarum ſede theologiae profeſſor, anno CIↃIↃCCVIIII.

IOANNES WANDALINVS, itidem Hafnienſis theologus, ann. CIↃIↃCCX.

THOM. ITTIGIVS, Lipsiensis theologiae professor et praesul sacrorum, ann. CIↃIↃCCX.

FRANC IVL. LVTKENS, qui tum in variis Brandenburgicae ditionis ciuitatibus et ipsa Berolinensi, tum in aula et academia Hafniensi doctoris munus administrauit, ann. CIↃIↃCCXII.

IO. FRID. MAYERVS, ex Vitebergensi academia, vbi, apud Leisnicenses et Grimmenses superintendentis partibus antea functus, inter publicos theologiae doctores locum obtinuerat, Hamburgum euocatus, creatusque professor theologiae Kilonienſis honorarius: tandem in Gryphicam academiam translatus, Sedini decessit ann. CIↃIↃCCXII.

ZACH. GRAPIVS, theologus Rostochiensis, ann. CIↃIↃCCXIII.

IOANNES OLEARIVS, Lipsiensis theologiae professor, ann. CIↃIↃCCXIII.

GOTTFRID. ARNOLDVS, qui abdicauit se prouincia, Giessae historias docendi, et sacerdotis munere Altstadii, et inspectoris Werbensis et Perlebergensis functus est, CIↃIↃCCXIV.

SAM. SCHELGVIGIVS, theologus rectorque gymnasii Gedanensis, ann. CIↃIↃCCXV.

GOTTFRID. OLEARIVS, philologus et theologus Lipsiensis, ann. CIↃIↃCCXV.

IOANNES FECHTIVS, in aula Durlacensi sacrorum minister, postea Rostochiensis theologus primarius, ann. CIↃIↃCCXVI.

CHRISTOPH. SONNTAGIVS, Silusia, vbi

vbi sacris regendis praefuit, Altorfium euocatus, theologorum princeps fuit constitutus ; anno CIↃIↃCCXVII.

IO. PAVLVS HEBENSTREITIVS, administrata Ienae tum philosophi, tum theologi prouincia, variam expertus fortunam, CIↃIↃCCXVIII.

CASPAR LOESCHERVS, postquam Sondershusae, Erfurti et Zuikauiae rem sacram rexerat, Vitebergae theologiam docuit, ann. CIↃIↃCCXVIII.

IOANN. HENR. MAIVS, theologus Durlacensis, postea Giessensis, ann. CIↃIↃCCXIX.

IO. CHRISTOPH. PFAFFIVS, theologus Tubingensis, ann. CIↃIↃCCXX.

IO. GVOLFG. IAEGERVS, eiusdem academiae cancellarius, ann. CIↃIↃCCXX.

ADAMVS RECHENBERGIVS, Lipsiensium theologorum princeps, ann. CIↃIↃCCXXI.

BERNHARDVS SANDIVS, Bernhardi filius, et in Regiomontana academia primarius sacrarum litterarum professor, ann. CIↃIↃCCXXI.

HENR. PIPPINGIVS, Lipsiae, tandem in aula Dresdensi primarius, verbi diuini praeco, ann. CIↃIↃCCXXII.

GERHARD. WALTH. MOLANVS, Rinteliensis theologus, postea abbas Loccumensis, ann. CIↃIↃCCXXII.

IO. MICHAEL HEINECCIVS, Halensium sacerdotum princeps, ann. CIↃIↃCCXXII.

HENR. LVDOLPHVS BENTHEMIVS, postquam variis muneribus functus fuit, Harburgi sacra gubernauit, ann. CIↃIↃCCXXIII.

GEORG. SERPILIVS, antistes Ratisbonensis, ann. CIↃIↃCCXXIII.

MICHAEL FOERTSCHIVS, theologus Durlacensis, deinde Tubingensis, denique Ienensis primarius, ann. CIↃIↃCCXXIV.

CASP. CALVOERIVS, rei sacrae in prouincia Grubenhagensi antistes, a. CIↃIↃCCXXV.

MATTHAE. HILLERVS, abb. Kœnigsbrunn. eodem.

IOANNES GVILIELMVS IANVS, theologus Vitebergensis, ann. CIↃIↃCCXXV.

MARTINVS CHLADENIVS, qui in eadem academia sanctiorem disciplinam docuit, ann. CIↃIↃCCXXV.

IO. ANDR. SCHMIDIVS, qui litteras philosophicas in academia Ienensi, theologicas in Helmstadiensi tradidit, ann. CIↃIↃCCXXVI.

AVGVST. HERM. FRANKIVS, theologus Halensis, ann. CIↃIↃCCXXVII.

IO. ANDREAS DANZIVS, philologus et theologus Ienensis, ann. CIↃIↃCCXXVII.

IOANNES PORSTIVS, theologus Berolinensis, ann. CIↃIↃCCXXVIII.

GEORG. HENR. GOETZIVS, postquam diuinam voluntatem in nonnullis Saxoniae electoralis ciuitatibus interpretatus est, praefuit sacris Lubecensibus, ann. CIↃIↃCCXXVIII.

IOAN-

IOANNES FABRICIVS, theologus Altorfinus, postea Helmstadiensis, et abbas, ann. CIↃIↃCCXXVIIII.

GOTTLIEB WERNSDORFIVS, theologus Vitebergensis et polemicus primarius, ann. CIↃIↃCCXXVIIII.

IO. FRANC. BVDDEVS, postquam Coburgi et Halae philosophiam docuit, tandem in Ienensi academia ad sacras litteras tradendas loco primario admotus fuit, ann. CIↃIↃCCXXVIIII.

GEORG. NITSCHIVS, theologus Brunsuicensis, deinde Guelpherbytanus, denique Gothanus antistes, ann. CIↃIↃCCXXVIIII.

I. W. BAIERVS, theologus Altorfinus, eod.

PAVLVS ANTONIVS, theologus Rochlizensis, Isenacensis et Halensis, a. CIↃIↃCCXXX.

SEVERINVS LINTRVPIVS, episcopus Wiburgensis et professor Hafniensis, ann. CIↃIↃCCXXXI.

IO. GVIL. ZIEROLDVS, præsul Stargardiensis, ann. CIↃIↃCCXXXI.

IO. GEORG. IOCHIVS, theologus Tremonienſis, deinde Erfurtensis, denique Witebergensis, ann. CIↃIↃCCXXXI.

IOACH. IVSTVS BREITHAVPTIVS, theologus Kilonienſis, Erfurtensis, Meiningensis, denique Halensis et abbas Bergensis, ann. CIↃIↃCCXXXII.

ALB. IOACH. DE KRAKEWITZ, theologus Rostochiensis et Gryphicus, a. CIↃIↃCCXXXII.

IO. GEORGIVS PRITIVS, quum sacra munera Lipsiae, Seruestae, Schlaezii et Gryphiswaldiae administrasset, Francofurti ad Moenum senioris functus est partibus, ann. CIↃIↃCCXXXII.

IOANNES IACOBVS RAMBACHIVS, theologus Halensis, postea Gisensis, ann. CIↃIↃCCXXXV.

IO. ALB. FABRICIVS, litterator, gymnasii Hamburgensis professor, ann. CIↃIↃCCXXXVI.

CHRISTIANVS WORMIVS, episcopus Hafniensis, ann. CIↃIↃCCXXXVII.

IO. HENR. MICHAELIS, exegeta, theologus Halensis, ann. CIↃIↃCCXXXVIII.

GEORG. GVSTAV. ZELTNERVS, qui theologiam in academia Altorfina docuit, post in pago Poppenreuthensi sacrorum fuit minister, ann. CIↃIↃCCXXXVIII.

IO. REINH. RVSIVS, theologus Ienensis, ann. CIↃIↃCCXXXVIII.

IOANNES FRICKIVS, antistes Vlmensis, ann. CIↃIↃCCXXXIX.

IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, rector Flensburgensis, postea philosophiae professor Vitenbergensis, pastor denique Hamburgensis, ann. CIↃIↃCCXXXIX.

GEORG. RAPHELIVS, praesul Luneburgensis, ann. CIↃIↃCCXL.

VRBAN. GOTTFRID. SIBERVS, Schneebergae rector et concion. theologus Lipsiensis, ann. CIↃIↃCCXLI.

IOANN. FRID. BERTRAMVS, in aula Frisiae orientalis sacrorum minister, ann. CIↃIↃCCXLI.

CHRISTIANVS MVNDENIVS, pastor Goettingensis, deinde theologiae professor Helmstadiensis, denique antistes Francofurtensis ad Moenum, ann. CIↃIↃCCXLI.

IO. GVSTAVVS REINBECKIVS, philosophus et theologus Berolinensis, ann. CIↃIↃCCXLI.

IAC. FRIDER. REIMMANNVS, rector scholae Halberstadiensis, sacrorum minister Ermslebiensis et Magdeburgensis, tandem praesul Hildesiensis, ann. CIↃIↃCCXLIII.

IO. GEORG. PALMIVS, theologus Guelpherbytanus et Hamburgensis, ann. CIↃIↃCCXLIV.

ERICVS BENZELIVS, archiepiscopus Sueciae, ann. CIↃIↃCCXLIV.

IOACH. LANGIVS, rector et pastor Berolinensis, primarius tandem academiae Halensis theologus, ann. CIↃIↃCCXLV.

MICH. CHRISTIAN. RVSMEYERVS, primarius sanctioris disciplinae in Gryphica academia professor, ann. CIↃIↃCCXLV.

ERN. SAL. CYPRIANVS, theologus Coburgensis, consiliarius postea Gothanus, ann. CIↃIↃCCXLV.

BERNH. WALT. MARPERGERVS, Norimbergensis, post primarius in aula Dresdensi volun-

voluntatis diuinae praeco et ecclesiæ a consiliis, ann. CIↃIↃCCXLVI.

CHRISTIAN. EBERH. WEISMANNVS, qui tum in aula Stuttgardiensi, tum in academia Tubingensi sacras litteras docuit, ann. CIↃIↃCCXLVII.

VAL. ERN. LOESCHERVS, praesul Interbogensis, deinde Delizensis, postea theologiae professor Vitebergensis, denique antistes Dresdensis, ann. CIↃIↃCCXLIX.

ERN. FRID. NEVBAVERVS, theologus Gisensis, ann. CIↃIↃCCXLVIII.

MARCVS WOELDICKIVS, theologus Hafniensis, ann. CIↃIↃCCL.

MICH. LILIENTHALIVS, voluntatis diuinae apud Regiomontanos interpres, an. CIↃIↃCCL.

ROMANVS TELLERVS, ROMANI fil. theologus Lipsiensis, ann. CIↃIↃCCL.

FRID. ANDR. HALLBAVERVS, qui in Ienensi academia litteras politiores, postea sacras docuit, ann. CIↃIↃCCL.

ISRAEL GOTTLIEB CANZIVS, philosophus et theologus Tubingensis, ann. CIↃIↃCCLIII.

CHRISTIAN. FRID. BOERNERVS, primarius Lipsiensium theologus, ann. CIↃIↃCCLIII.

IOACH. OPORINVS, theologus Kiloniensis, postea Goettingensis, ann. CIↃIↃCCLIII.

IO. ALB. BENGELIVS, abbas Herbrechtingensis, ann. CIↃIↃCCLIII.

SA-

SALOMO DEYLINGIVS, Plauiae sacerdos, antistes Pegauiensis et Islebiensis, post Lipsiensis theologus, ann. CIↃIↃCCLV.

IO. LAVRENTIVS A MOSHEIM, theologus Helmstadiensis, postea cancellarius Georgiae Augustae, ann. CIↃIↃCCLV.

§. III.

Nec suis ornamentis caruit coetus eorum, qui ab ipsa *reformatione* nomen sortiti sunt. Eminent in his praeter nonnullos, a CYPRIANO * posterorum memoriae commendatos,

FRID. SPANHEMIVS, F. fil. qui cum in Heidelbergensi, tum Lugdunensi Batauorum academia sacras litteras historiasque tradidit, ann. CIↃIↃCCI.

IAC. GVSSETIVS, philologus et theologus Groeninganus, ann. CIↃIↃCCIV.

PETRVS VAN MASTRICHT, Gerardi fr. theologiae professor in academiis Francofurtensi, Duisburgensi et Vltraiectina, ann. CIↃIↃCCCVI.

HERM. WITSIVS, qui post administratum sacri oratoris munus in variis Belgii foederati locis, theologiam docuit Franequerae, Vltraiecti et Lugduni batav. ann. CIↃIↃCCCVIII.

GEORGIVS BVLLVS, qui post alios honoris titulos episcopi munus in Angliae vrbe, quae

* *compend. histor. eccles. libr. III. cap. IV. §. 5.*

quae S. Dauidis nomen fert, est consequutus, ann. CIↃIↃCCX.

NICOL. GVRTLERVS, Herbornae, Hanouiae, Bremae, Dauentriae, denique Vltraiecti publicus sacrarum litterarum doctor, ann. CIↃIↃCCXI.

IO. ERNEST. GRABIVS, qui, quum a nostris ad Anglos transiisset, Londini professoris theologiae nomine ornatus, vitam finiuit ann. CIↃIↃCCXI.

GVIL. CAVEVS, canonicus Vindsorienſis, ann. CIↃIↃCCXIII.

PETRVS IVRIEV, Sedanensis professor, postea sacrorum apud Gallos Roterodamenses minister, ann. CIↃIↃCCXIII.

SAL. VAN TIL, qui in variis locis sacra fecit, antequam Lugduni theologiam traderet, ann. CIↃIↃCCXIII.

GILBERT. BVRNETVS, Scotus, historicus, tandem episcopus Salisburiensis, a. CIↃIↃCCXV.

IOANNES LA PLACETTE, qui ex Gallia expulsus, coetui reformato Hafniensi praefuit, ann. CIↃIↃCCXVIII.

HERM. ALEX. ROELLIVS, qui in nonnullis locis sacro munere functus, cum Franequerae, tum Traiecti ad Rhenum theologiam docuit, ann. CIↃIↃCCXVIII.

MELCH. LEIDECKERVS, theologiae professor Vltraiectinus, ann. CIↃIↃCCXXI.

CAMPAGIVS VITRINGA, pater, professor Franeckeranus et exegeta, a. CIↃIↃCCXXII.

IAC. BASNAGIVS, sacrorum minister, cum Rothomagi, tum Hagae comitum, ann. CIↃIↃCCXXIII.

HVMFREDVS PRIDEAVX, decanus Norwicensis, ann. CIↃIↃCCXXIV.

BENEDICTVS PICTETVS, theologus Genevensis, ann. CIↃIↃCCXXIV.

IAC. LENFANT, Gallus, theologus Heidelbergensis et Berolinensis, ann. CIↃIↃCCXXIV.

IACOBVS ABBADIE, Killalowensis decanus, ann. CIↃIↃCCXXVII.

FRID. ADOLPH. LAMPIVS, theologus Duisburgensis, deinde Bremensis, tum Traiectinus, denuo Bremensis, ann. CIↃIↃCCXXVIII.

SAMVEL STRIMESIVS, primarius theologiae professor in academia Viadrina, ann. CIↃIↃCCXXX.

IACOBVS SAVRINVS, qui Hagae Comitum sacrorum fuit minister, ann. CIↃIↃCCXXX.

GVIL. DERHAMVS mathem. philos. canonicus Windsorensis, ann. CIↃIↃCCXXXV.

GVIL. WACKIVS, archiepiscopus Cantuariensis, ann. CIↃIↃCCXXXVII.

IO. ALPHONSVS TVRRETINVS, doctor ecclesiae et academiae Genevensis, ann. CIↃIↃCCXXXVII.

ISAACVS DE BEAVSOBRE, theologus Berolinensis, ann. CIↃIↃCCXXXVIII.

SAM. WERENFELSIVS, philos. et theologus Basileensis, ann. CIↃIↃCCXL.

DAN. ERN. IABLONSKIVS, primarius aulae regiae Berolinenſis theologus, ann. CIↃIↃCCXLI.

DAN. WATERLANDVS, regis magnae Britanniae a concionibus ſacris, ann. CIↃIↃCCXLII.

HIERON. SIM. VAN ALPHEN, theologiae profeſſor Vltraiectinus, ann. CIↃIↃCCCXLII.

IOANNES POTTERVS, philologus, archiepiſcopus Cantuarienſis, ann. CIↃIↃCCCXLVII.

IO. FRID. OSTERWALDVS, paſtor Neocomenſis in Heluet. ann. CIↃIↃCCCXLVII.

PETRVS ROQVES, eccleſiae Gallicanae Baſileenſium paſtor, ann. CIↃIↃCCCXLVIII.

ANT. DRIESSENIVS, ſacerdos Vltrai. theologus Groninganus, ann. CIↃIↃCCCXLVIII.

EDM. GIBSONIVS, epiſcopus Londinenſis, ann. CIↃIↃCCCXLVIII.

IAC. ELSNERVS, philologus, profeſſor Lingenſis, poſtea theologus Berolinenſis, ann. CIↃIↃCCCL.

EDVARD. CHANDLERVS, epiſcopus Dunelmenſis, ann. CIↃIↃCCCL.

CONYERS MIDDLETONVS, theologus Cantuarienſis, ann. CIↃIↃCCCL.

ALB. SCHVLTENS, philologus Lugdunenſis, ann. CIↃIↃCCCL.

CONR. IKENIVS, theologus Bremenſis, ann. CIↃIↃCCCLIII.

§. IV.

Inter doctores Romanenſium primarium locum obtinent ipſi Romanorum ſummi pontifices. INNOCENTIO XIII. * quum d. III. Mart. ann. CIↃIↃCCXXIV. ex hac vita diſceſſiſſet, ſucceſſor datus fuit Vincentius Maria Vrſinus, ex Dominici familia; qui adſumto BENEDICTI XIII. nomine, multa aeque laude ac reprehenſione digna geſſit, vitamque finiuit d. XXI. Febr. ann. CIↃIↃCCXXX. Commiſerunt patres purpurati papae munus Laurentio Corſinio, CLEMENTI XII. adpellato, e viuis ſublato d. VI. Febr. ann. CIↃIↃCCXL. Poſt longa diſſidia et contentiones electus fuit Proſper Laurentius Lambertinius; qui BENEDICTI XIIII. nomine vtitur, atque ingenii et doctrinae laude noſtra aetate ſummopere floret. Quae ab his geſta ſunt, ſingula ſuo loco iuſtoque ordine enarrabuntur. **

§. V.

Praeter hos praeclara ingenii monimenta magnamque nominis ſui gloriam reliquerunt *** HEN-

* vid. CYPRIANI *compend. hiſtor. Eccleſ. libr. III. Cap. 2. §. 1.*

** De ſingulis plura dixi in *hiſtoria pontific. Rom.* Germanice nuper edita, *libr. VIII. Cap. I. ſect. 2. §. 3. 4. 5.*

*** Conſulto omittimus viros doctos, laudatos a CYPRIANO *loc. cit. §. IX.*

HENRICVS NORISIVS; ex Auguſtini familia in numerum patrum purpuratorum cooptatus et Vaticanae bibliothecae praefectus, ann. CIↃIↃCCIV. denatus.

IAC. BENIGN. BOSSVETVS, epiſcopus Condomenſis, deinde Meldenſis, ann. CIↃIↃCCIV.

IO. BAPT. DV HAMEL, academiae ſcientiarum Pariſienſis ab epiſtolis, ann. CIↃIↃCCVI.

ESPRIT FLECHIER, orator, epiſcopus Nemauſenſis, ann. CIↃIↃCCX.

RICHARDVS SIMON, theologus Gallicanus, ann. CIↃIↃCCXII.

IOS. MARIA TOMMASIVS, monachus Theatinus, purpura Romana ornatus, ann. CIↃIↃCCXIII.

FRANCISC. SALIGNAC DE LA MOTTE FENELONIVS, archiepiſcopus Cameracenſis, ann. CIↃIↃCCXV.

PETRVS DANIEL HVETIVS, abbas Aulnetanus, epiſcopus Abrincenſis; abdicato vero epiſcopatu, abbas Fontanetenſis, priuatam Pariſiis egit vitam, ann. CIↃIↃCCXXI.

PETRVS CONSTANTIVS, monachus Benedictinus, ann. CIↃIↃCCXXI.

CLAVDIVS FLEVRY, prior Argenteuillenſis, CIↃIↃCCXXIII.

NATALIS ALEXANDER, Dominici ex ordine, anno CIↃIↃCCXXIV.

NICOLAVS LE NOVRRY, Benedictinus, a. CIↃIↃCCXXIV.

CONR. IANNINGIVS, Ieſuita, ann. CIↃIↃCCXXIV.

DIONYSIVS DE S. MARTHE, congregationis Benedictinorum S. Mauri ſubprior, ann. CIↃIↃCCXXV.

IOANNES HARDVINVS, ſocietati Loiolitarum adſcriptus, ann. CIↃIↃCCXXVIIII.

IACOBVS LONGVEVAL, eiusdem ſocietatis ſodalis, ann. CIↃIↃCCXXXV.

IVSTVS FONTANINI, titulo archiepiſcopi Ancyrani donatus, ann. CIↃIↃCCXXXVI.

IAC. HIAC. SERRY, Dominicanus Patauinus, ann. CIↃIↃCCXXXVIII.

IO. FRID. SCHANNAT, abbas in Palatinatu inferiori ann. CIↃIↃCCXXXIX.

DOMINICVS DE COLONIA, Loiolita Lugdunenſis, ann. CIↃIↃCCXXXXI.

MELCHIOR DE POLIGNAC, cardinalis presbyter, CIↃIↃCCXXXXII.

VINCENT. IVD. GOTTI, ex Dominicanis, pater purpuratus, ann. CIↃIↃCCXLII.

IO. BAPT. DV HALDE, Ieſuitarum ordini adſcriptus, ann. CIↃIↃCCXXXVIIII.

GOTTFR. BESSEL, abbas Gottuicenſis, CIↃIↃCCXXXVIIII.

DOMINICVS GEORGIVS, theologus Romanus, ann. CIↃIↃCCLII.

LVDOVIC. ANTON. MVRATORIVS, bibliothecae Mutinenſis praefectus, anno CIↃIↃCCLII.

ANGELVS MARIA QVIRINVS, episcopus Corcyrensis, postea Brixianus, et cardinalis, ann. CIↃIↃCCLV.

§. VI.

Neque ecclesia graeca, quamuis miser sit eius in partibus orientis status, destituta fuit suis doctoribus, ingenii laude clarissimis. Meliore certe illa vtitur in Ruthenorum imperio fortuna. At vero, licet inde a temporibus PETRI I. omni litterarum genere fuerit illustrata, sacras tamen disciplinas parum lucis accepisse, fateri nos oportet. Commemorabimus igitur viros doctos, quorum nomina et monimenta ingenii, quibus sacrae res explicantur, nouimus. Quo loco numeroque sunt

DOSITHEVS, patriarcha Hierosolymitanus, qui vitam finiuit ann. CIↃIↃCCCVI.

CHRYSANTHVS NOTARAS, qui in locum Dosithei surrogatus fuit; quonam tempore decesserit, ignoramus.

HIEROTHEVS COMNENVS, metropolita Dristrae s. Dorostoli, ann. CIↃIↃCCCXVIIII.

ALEXANDER HELLADIVS, qui longius spatium in Germania commoratus est.

THEOPHANES, PROCOPII filius, archiepiscopus Nouogardiensis, ann. CIↃIↃCCCXXXVI.

STEPHANVS IAVORSKIVS, metropolita Resanensis, ann. CIↃIↃCCCXLII.

ATHANASIVS DOROSTAMVS, archimandrita

mandrita Constantinopolitanus, cui ELSNERVS maxime debet, quae de Graecis commentatus est.

DAMIANVS PARASCEVAS, ob susceptam philosophiae Wolfianae caussam celebris.

COSMAS, patriarcha Alexandrinus, e viuis sublatus ann. CIↃIↃCCXXXXI.

IGNATIVS KVILKZINSKI, abbas monasterii Graecorum Grodnensis in Polonica Litvania.

Addimus THEOCTETVM POLYIDEN, abbatem Polyaniae, DEMETRIVM SARIZIVM, metropolitam Rostouiensem, SISIMVM PERASTIANVM, METHODIVM ANTHRACITEM; nec negligenda esse putamus illustria nomina IO. NICOLAI MAVROCORDATI, et DEMETRII CANTEMIRII.

§. VII.

Denique inter Arminianos magnam nominis sui famam reliquerunt

IOANNES CLERICVS, philosophiae et historiae ecclesiasticae apud Amstelodamenses professor, ann. CIↃIↃCCXXXVI.

ADRIANVS A CATTENBVRG, theologiae in eodem Gymnasio professor, ann. CIↃIↃCCXXX...

IOANNES DRIEBERGIVS, qui idem munus administrauit, ann. CIↃIↃCCXXXXVI.

IOANNES IACOB. WETSTENIVS, philosophiae et historiae ecclesiasticae professor, a.

CIↃIↃCCLIV. Si qui praeter hos ex aliis sectis clari fuere, eorum memoriam, in enarranda controuersiarum historia, commendare posteris non negligemus.

CAPVT II.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE ET EVANGELICAE.

§. I.

Quo grauiores nobis sunt caussae, summopere dolendi, tot tantasque gentes, per vniuersum terrarum orbem dispersas, in summa doctrinae christianae versari ignorantia; eo magis praedicari oportet Diuinam prouidentiam, qua effectum est, vt nec nostra aetate coetus Christianus suis careat ampliſſimis accessionibus. Qui licet in varias discissus sit partes: communia tamen omnium esse videntur studia, hominibus, a Christo alienis, nunciandi salutarem doctrinam, eosque ad cognitionem veritatis perducendi. Hinc boni historici officium a nobis postulare putamus, vt distinguamus, quae inter se distinguenda sunt. Quare animus est, primum incrementa ecclesiae Lutheranae, deinde reformatae, tum Romanensis, denique Graecae exponere.

§. II.

§. II.

Fauſtis fortunatiſque auſpiciis potentiſſimi Daniae regis FRIDERICI IV. ad Indos orientales nuncios euangelii ſub initium huius ſeculi fuiſſe ablegatos, nec defuiſſe ſalutaribus eorum laboribus fructus exſpectatos, breuiter quidem monuit CYPRIANVS. Noſtrum eſt, rem maxime memorabilem maiore cura explicare. Ex quo proximo ſeculo Danorum colonia Trankebariae, vrbe in littore Coromandelio ſita, ſedem fixit, auguſtiſſimi illorum reges animum induxerunt, vti, quam Dei prouidentia ſibi oblatam eſſe ſentiebant, exoptata occaſione, gentibus, ſuperſtitioſis idolorum cultibus addictis, quae regiones illas incolunt, aditum ad cognoſcendam de Chriſto doctrinam patefaciendi. At defuit ſalutaribus conſiliis euentus, vſque dum FRIDERICVS IV. precibus maxime et cohortationibus LYTKENII, theologi magni nominis, commotus, ann. CIↃIↃCCV. BARTHOLOM. ZIEGENBALGIVM et HENR. PLVTHSCHOVIVM ad Indos abire iuſſit, vt euangelium illis nunciarent. Venerunt Trankebariam d. XI. Iul. ann. CIↃIↃCCVI. et breui intellexerunt, quanta illis exſpectanda eſſent impedimenta, quae modo incolarum ſuperſtitioſae de rebus diuinis opiniones, modo linguarum, quibus illi vtuntur, ignoratio, modo deprauata Europaeorum vita, aliaque inferebant. At feliciſſime omnia illa ſuperarunt, et inſtructi tum Luſitanicae, tum Tamulicae

cae orationis vſu, ſacri muneris inter gentes profanas adminiſtrandi exoptata fecerunt auſpicia, quum d. V. Maii quinque homines paganos baptiſmi ritu ſacrae ciuitati adſcriberent, templumque exſtruerent, cui *nouae Hieroſolymae* nomen fuit impoſitum. Maxima poſt haec cura fuit in aperiendis ſcholis, et conuertendo ſacro codice in linguas Luſitanicam et Malabaricam. Quo difficilius hoc negotium exſtitit ; eo maiore laude digna eſt praeſtantiſſimorum virorum diligentia et aliorum liberalitas ; qua factum eſt, vt non ſolum verſiones illae conficerentur ; ſed etiam vna cum aliis libris, repetitis vicibus typorum formis exſcriptae, in omnium verſentur manibus, qui in ſuos vſus illas conuertere cupiunt. Conſulto quidem ſilentio praeterimus et varios labores, quos admirando ardore peregerunt legati ; et varia vexationum genera, quae ſuſtinere illos oportuit, tum a paganis hominibus, tum ab iis, qui Romanae curiae obſequia praeſtant, excitata : et ſatis eſſe ducimus, potiſſimum attingere externas inſtituti viciſſitudines. A. CIↃIↃCCVIIII. binis, quos diximus, collegae dati ſunt IO. ERN. GRYNDLERVS et IO. GEORG. BOEVINGIVS; quibus ſponte ſua comitem ſe adiunxit POLYCARPVS IORDANVS, et ad formandam iuuentutem ſe paratum exhibuit. Ex his BOEVINGIVS a. CIↃIↃCCXI. deſertis collegis, in Europam reuerſus eſt. Idem conſilium PLYTSCHOVIVS eodem anno capere, valetu-

dinis rationibus coactus fuit. Diuina tamen benignitate Christianae rei in dies maiora fiebant incrementa, multorum in Dania, Germania et Anglia maxime animis excitatis, vt beneficiis suis illam sublenarent, et constituto Hafniae missionis collegio, quod saluti illius prospiceret. ZIEGENBALGIVS ann. CIↃIↃCCXIV. iter suscepit in Europam, quo confecto, Trangabariam ann. CIↃIↃCCXVI. rediit, maximo gaudio ab ouibus suis, quas reliquerat, exceptus. Eo potissimum auctore consilioque illustri societatis Anglicanae de propaganda fide accidit, vt ann. CIↃIↃCCXVII. et Cudulurii et Madrastae (vtrumque oppidum Anglis paret) ludi Christiani constituerentur; Trangabariae vero nouum templum, itidem *noua Hierosolyma* adpellatum, fuit exstructum, orationibusque sacris, germanice, lusitanice et tamulice recitatis, dedicatum. Ann. CIↃIↃCCXVIIII. transiit ad caelites ZIEGENBALGIVS; sed eodem fere tempore ex Germania tres legati sacri aduenerunt, BENIAMIN SCHVLZIVS, NICOL. DALIVS et IOANN. HENR. KISTENMACHERVS. Anno CIↃIↃCCXX. GRYNDLERVS quoque ex misera hac vita ad aeterna gaudia translatus est, hunc-que ann. CIↃIↃCCXXII. sequutus KISTENMACHERVS. Tot totiesque repetitae, quas missionariorum collegium fecit, iacturae multum rei vniuersae Christianae, vix inter Indos bene ordinatae, ostendebant discriminis; ex quo sola

Dei prouidentia feliciter illam eripuit. Confirmauit enim animos superstitum, maxime SCHVLZII, eosque excitauit, vt omni cura in stadio, in quod ingressi erant, progrederentur: hos exoptatos laborum fructus capere, benigne voluit, iisque ann. CIↃIↃCCXXV. tres adiunxit collegas, MARTIN. BOSSIVM, CHRISTIAN. FRIDERIC. PRESSIERIVM et CHRISTOPH. THEOD. WALTHERVM. Aucto igitur legatorum numero, copia illis facta est latius operas suas proferendi. Cuius rei exempla sunt Madrasta et Cudulurium, de quibus postea diceimus, ac terra Tanshaurina (Tanjaour), in qua inde ab a. CIↃIↃCCXXVII. coetus sacri Christo sunt collecti. Breui pluribus, qui missionarii officio funguntur, opus fuit, idque ANDREAE WORMIO et SAM. GOTTL. RICHTSTEIGIO commissum, qui ann. CIↃIↃCCXXX. in Indiam aduenerunt. Insignes hinc factae sunt ciuitatis Christianae in illis regionibus accessiones; nec potuit fieri, vt legati omnium, qui ex paganis ad illam se contulerant et in variis locis erant dispersi, tantam haberent curam, quanta opus fuit. Quare saluberrimum ceperunt consilium, ex illorum numero eligendi muneris sacri socios; qui postquam christianam religionem essent amplexi, catechetarum prouinciam inter ciues suos non sine magna laude administrauerant. AARONEM igitur constituerunt, manibus impositis, coetuum extra territorium Trangabariense pastorem, ann.

CIↃ-

CIↃIↃCCXXXIII. nec vanam fuisse, quam de illius virtute conceperant, spem, multis documentis est confirmatum. A. CIↃIↃCCXXXV. WORMIVS et RICHTSTEIGIVS, et triennio interposito PRESSIERIVS vitam cum morte commutarunt; accesserunt vero ann. CIↃIↃCCCXXXVI. GOTTFR. GVIL. OBVCHIVS, IO. CHRISTIAN. WIDEBROKIVS et IOANN. BALTH. KOHLHOFIVS; item ann. CIↃIↃCCXL. DANIEL ZEGLINVS, et ex Indis, ad Christum conuersis, ann. CIↃIↃCCXLI. IACOBVS, catecheta, ad sacerdotis munus obeundum admotus fuit. A. CIↃIↃCCXLII. ex Dania Trangabariam OLAVS MADERVPIVS ablegatus est; huncque sequuti sunt ann. CIↃIↃCCXLVI. IACOBVS KLEINIVS, et a. CIↃIↃCCL. CHRISTIAN. FRID. SCHWARZIVS et DAVID POLZENHAGENIVS; ann. CIↃIↃCCLV. DAMIVS; nec non ann. CIↃIↃCCXLIX. AMBROSIVS ex Indis sacrorum minister est constitutus. Quae laetiora contigerunt ciuitati sacrae; fecit tamen iacturam ann. CIↃIↃCCXLV. AARONIS et OBVCHII; item DALII, a. CIↃIↃCCXLVII. placida morte defuncti, et BOSSII, qui ann. CIↃIↃCCL. Hafniam rediit.

Danorum exemplum dignum esse credidérunt, quod imitarentur, Angli, quorum satis amplae sunt in eadem Indiae orientalis parte possessiones. Quum illi missionariorum Lutheranorum, qui Trangabariae commorabantur, opera

potissi-

potissimum vsi sunt; ad nunciandam salutarem doctrinam profanis gentibus, *missiones* binas, quas instituerunt, hoc loco decet commemorari. Prior sedem habet *Madrastae*. Huc primus Trangabaria discessit venerabilis vir BENIAMIN SCHVLZIVS ann. CIↃIↃCCXXVII. ac sacri laboris tam laeta fecit auspicia, vt societas Anglicana de fide propaganda ipsi non solum legati sacri munus committeret; sed adiungeret etiam ann. CIↃIↃCCXXX. IO. ANT. SARTORIVM et anno insequenti IO. ERN. GEISTERVM. Ex his SCHVLZIVS maxime in eo collocauit operam, vt translato codice sacro in linguam Telugicam aliisque vtilissimis libellis in lucem editis studia praeconum subleuaret. Experti quidem sunt viri docti eadem cum Trangabaricis impedimenta, odia maxime Pontificiorum: Diuina tamen erga eos benignitas omni vi humana maior exstitit. Quamuis SARTORIVS et GEISTERVS Madrasta Cudulurium discederent; constans tamen fuit in perficiendo, quod ceperat, opere SCHVLZIVS, ita vt vel ipsam Anglorum exspectationem superaret. Aduersa valetudo tandem SCHVLZIVM ann. CIↃIↃCCXLIII. coëgit in Europam reuerti, sedemque Halae figere, vbi superstes est, consiliisque aliisque studiis praeclare de vniuersa re Christiana mereri pergit. In locum eius surrogatus fuit IO. PHIL. FABRICIVS; nec minus GEISTERVS Madrastam rediit; hoc vero denuo Cudulurium euocato, ann.

CIↃ-

CIↃIↃCCXLVI. accessit IO. CHRIST. BREITHAVPTIVS. Eodem anno, Madrasta a Gallis occupata, euangelica res in extremum periculum adducta fuit, ita vt legati sacri vrbe discedere iuberentur; at vero ann. CIↃIↃCCXLIX. quum pace Aquisgranensi Anglis Madrasta redderetur, omnia in pristinum, immo meliorem locum restituta fuere.

Cudulurium eiusdem regionis vrbs, inter Trangabariam et Madrastam interiacens, itidem Anglorum potestati subiecta. Quamuis omni tempore Trangabarienses ibi euangelium nunciare tentauerint, nec studia eorum omni fructu caruerint; missionis tamen et ibi constituta initia ann. CIↃIↃCCXXXVII. quo SARTORIVS et GEISTERVS Madrasta illuc missi sunt; licet prior breui interiecto spatio vitam deposuerit. Quum tanto operi solus GEISTERVS haud sufficeret, ann. CIↃIↃCCXXXX. socium accepit IO. ZACH. KIERNANDRVM, qui per longum tempus solus omnia feliciter peregit. Ann. CIↃIↃCCL. collega eius aduenit GEORG. HENR. CONR. HVTTEMANNVS. *

§. III.

* Quae breuiter de legationibus sacris euangelicis ad Indos orientales diximus, copiosius enarrantur in *litteris missionariorum*, quas AVGVSTVS HERM. FRANKIVS, titulo: *Berichte der Koenigl. Daenisch. Missionarien in Ostindien* exornatas inde ab anno CIↃIↃCCVIII. emittere cepit, filius vero eius, ven. GOTTH. AVG. FRANKIVS, nostra

§. III.

BATAVIAE, quae ampliſſima et opulenta eſt in inſula Iaua poſita et Belgarum imperio ſubiecta vrbs, euangelicus coetus ſtabilem ſedem fixit, data illi copia exſtruendi templi et vocandorum verbi diuini miniſtrorum. Quod dum maxime praeclaris ſtudiis illuſtris viri, IMHOFII, nunc ad beatorum ſedes translati, fertur acceptum, ita digna eſt eius memoria, omnium ore celebrata, quae in annalibus quoque eccleſiaſticis poſteris commendetur. *

§. IV.

noſtra adhuc aetate pergit. Ex his fontibus ſua deriuarunt viri docti, qui miſſionis huius origines et varias viciſſitudines explicarunt. Ex quibus princeps eſt IOANNES LVDOVIC. NIECAMPVS, cuius exſtat *hiſtoria miſſionis euangelicae in India orientali*, Germanice edita Halae CIↃIↃCCXXXX. in linguam Gallicam a BENIAM. GAVDARTO conuerſa, Genev. CIↃIↃCCXXXXV. denique latinitate donata a IOANN. HENRICO GRISCHOVIO, ann. CIↃIↃCCXXXXVII. Addi debent MATVRIN. VEISS. DE LA CROZE *hiſtor. Chriſtianiſmi Indor.* p. 563. edit. Gallicae; et p. 717. edit. Germanicae, quae variis additamentis GEORG. CHRIST. BOHNSTEDII, ad hanc rem pertinentibus, eſt inſtructa: FRID. SAM. BOCKIVS *in der kurzgefaſten Miſſionsgeſch. cap.* IV. p. 106. IO. ALB. FABRICIVS *luc. ſalut. euangel.* p. 605. et GVIL. ERN. BARTHOLOMAEI *act. hiſtor. eccleſ. vol.* II. p. 414. ſeqq.

* Vid. *Act. hiſtorico-eccleſ. tom. XII. p. 254. et tom. XIV. p. 281. et Beytraege von A. vnd N. Th. S. ann.* CIↃIↃCCLIII. *p. 788.*

§. IV.

Ex Africa nihil ad nos relatum eſt, niſi ab hoc vno diſceſſeris, quo, incolas promontorii, quod a *bona ſpe* nomen ſortitum eſt, euangelicis ſacris addictos, itidem accepiſſe poteſtatem, conſtituendi voluntatis Diuinae interpretem, accepimus: vt illuſtriſſ. Zinzendorfiadae conatus ſileamus.

§. V.

America quoque cepit coetuum Lutheranorum, ibi congregatorum, numero et laudibus illuſtrari. Carolinae, ampliſſimae illius prouinciae, pars eſt *noua Georgia*, ab auguſtiſſimo Georgio I. magnae Britanniae rege, nomen ſortita; * in quam inſignis Salisburgenſium, ex patria ſua religionis cauſſa expulſorum, colonia ann. CIↃIↃCCXXXIII. deduci cepit, et ab illo tempore ſenſim augeri. Comites illis dati fuere IO. MARTIN. BOLZIVS et ISR. CHRISTIANVS GRONAV; hisque ſacerdotis munus creditum: quod illi Ebenezeri adminiſtrare ceperunt. Nec defuit illis occaſio, ſuperſtitioſis huius prouinciae incolis Diuina, de ſalute hominum, conſilia nunçiandi. Ann. CIↃIↃCCXXXXI. exſtructum fuit templum in vrbe; ann. CIↃIↃCCXXXXIII. aliud, extra vrbem ſitum. Ann. CIↃIↃCCXXXXV. vitam cum morte commutauit GRONAVIVS, in cuius

* Vid. *hiſtor. Americ.* a vener. BAVMGARTENIO in lucem emiſſae *tom. II. p. 203. ſeqq.*

cuius locum HERM. HENR. LEMKENIVS surrogatus est. His accessit ann. CIↃIↃCCLII RABENHORSTIVS. Amplissima denique spes est, fore, vt coetus hic purior non solum in dies laetiora capiat incrementa; sed etiam ad ipsas Americanas gentes seruosque, deorum cultui adhuc addictos, salutaris cognitionis fructus adferat vberiores. *

Praeter Salisburgenses, alii etiam Lutherani in variis Americae prouinciis, Anglorum potestati subiectis, vitam agunt. Qui quum per longum spatium sacris religionibus ita caruere, vt multi inuenirentur adulti, qui ne baptisini quidem ritu essent initiati; Diuina prouidentia mirifice eorum saluti prospexit. Varii enim coetus coacti, praepositi illis sacrorum ministri, exstructa templa, omniaque ad iustam formam redacta. Satis erit, notasse, tales ecclesias Germanorum Lutheranas fuisse conditas in prouincia Pensiluanica Prouidentiae, Neohanouerae, Philadelphiae, Germanopoli, Lancastriae, Tulpehokii & Neoeboraci; quas a. CIↃIↃCCL. rexerunt & Diuino verbo

* De hoc Lutheranorum coetu Americano nemo rectius commentatus est venerabili SAM. VRLSPERGERO, qui non solum *tria volumina*, inscripta: *ausfyhrliche Nachrichten von den Salzburgischen Emigranten in America*, edidit; sed etiam ann. CIↃIↃCCLIV. in lucem cepit emittere *Americanisches Ackerwerk Gottes*; cuius operis nonnullae partes lucem viderunt.

verbo instruxere HENR. MELCH. MYHLENBERGIVS, PETRVS BRVNHOLZIVS, IO. FRID. HANDSCHVH, KVRZIVS et SCHAVNIVS: Spotsiluaniae, quae in Virginia sita est, cui STOEVERO mortuo a. CIↃIↃCCXXXVIII. praefectus est GEORG. SAM. KLVGIVS: Neo-Caesareae, vbi IO. FRID. WOLFIO sacerdotis munus est commissum: Albaniae, cuius curam GVIL. CHRISTIAN. BERKENMEIERVS suscepit: Fridericiae, vbi per breue tempus praeconis munus administrauit IO. VLR. DRIESLERVS. * Ex his colligitur, quam amplae sint sperandi caussae, futurum, vt clarissima euangelii luce illustrentur Americanae prouinciae. In easdem Anglicanas regiones tres legati sacri, WEYGANDVS, HEINZELMANNVS et SCHVLZIVS, ann. CIↃIↃCCL. et CIↃIↃCCLI. discesserunt. Memini etiam, in Belgio federato agitata fuisse consilia de mittendo in prouinciam Surinamensem sacerdote Lutherano; qualis vero eorum fuerit exitus, me quidem, fateor, ignorare. Certiora potius sunt, quae de ecclesiis Suecorum, tam in Pensiluania, quam in Neocaesareensi prouincia collectis ad nos peruenerunt. ** Quo loco

* Conferantur GOTTH. AVG. FRANKII commentarii: *Nachrichten von einigen euangelischen Gemeinen in America, absonderlich in Pensiluanien*: quorum itidem variae exstant partes.

** Vid. *acta historico-eccles. tom. XIV. p. 253. sqq.* adde

loco ea quoque habenda, quae a ſapientiſſimo Daniae rege Friderico V. ſunt proximo anno conſtituta; vt ſerui, qui in coloniis S. Crucis, S. Thomae, et S. Ioannis, aluntur, ſedulo doctrina Chriſtiana imbuantur. *

§. VI.

Ex America traiicimus in Groenlandiam. In hac inſula, an Cherſoneſo, quae Danorum poteſtati ſubiecta eſt, licet ſeculo X. Chriſtianae religionis quaedam fuerint facta initia, eamdemque ſeculo XV. adhuc ibi floruiſſe, nonnullis teſtimoniis comprobetur; ** ſenſim ea tamen videtur exſtincta. Gentem enim Dani, quum ſub Chriſtiano IV. littora recuperarent, tantis ſuperſtitionum tenebris offuſam et profanis cultibus addictam inuenerunt, vt nulla quidem ſupereſſe viderentur ſacrorum Chriſtianorum veſtigia. Diuinitus quaſi ann. CIↃIↃCCVIII. excitatus IO. EGEDE, qui in Noruagia ſacerdotis munere Wogenae functus erat, ſuiſque precibus effecerat, vt Hafniae legatus ſacer conſtitueretur, anno huius ſeculi XXI. ad Groenlandos acceſſit, eosque ad cognitionem caeleſtis veritatis perducere cepit. Quamuis cum innumeris impedimentis eſſet ipſi

de de ſtatu rei euangelicae in America FABRICIVM *luc. ſalutar. euang. Cap. XXXV. p. 559. 560.*

* Vid. IOS. LORKII *Beytraege zu der neueſten Kirchengeſch. in den Daeniſchen Reichen*, part. I. p. 46.

** Conf. *allgemeine Geſchichte von America* libr. VI. cap. 1. §. 4-8.

ipſi colluctandum; conſequutus tamen eſt immenſi laboris fructus: ſocios nactus ALBERT. TOPPIVM, OL. LANGIVM et MILZOVGIVM, auguſti regis clementia ac liberalitate ad perficiendum, quod ceperat, opus excitatos confirmatoſque. A. CIↃIↃCCXXIX. ex ipſis Groenlandis POCKIVS, qui nomen FRIDER. CHRISTIANI, ſuſcepto baptiſmi ritu, ſortitus erat, manus admouit ad nunciandam ciuibus ſuis caeleſtem veritatem. Ann. CIↃIↃCCXXXIII. multa impedimenta iniecit peſtiferum morbi genius, quod inſignem hominum multitudinem ex hac vita abſtulit. Rediit tandem ann. CIↃIↃCCXXXVI. EGEDIVS Hafniam, vt praeſens nouo coetui proſpiceret conſiliis, et inſtrueret alios ad ſuſtinendum legatorum ad Groenlandos munus.* Ab illo tempore ampliſſima cepit res ſacra Groenlandiae incrementa. Etenim praeter legatos Herrnhuhtanos, in quinque coloniis, ibi conſtitutis, aluntur miſſionarii regii; quorum opera inſignis numerus cultorum Chriſti ex barbara gente coactus eſt. **

* Legantur: IOANNIS EGEDE *Nachricht vom Anfang und Fortgang der Grœnlœndiſchen Miſſion*, CIↃIↃCCXL. eiuſdem libellus Danicus: *der gambe Grenlands nye Perluſtration*, Hafn CIↃIↃCCXXXXI. IOANN. ANDERSONII *Nachrichten von Island, Grœnland und der Straße Davis*, §. 97. ſqq. et ven. BOCKII *Miſſionsgeſchichte* cap. IV. §. 28. ſqq.

** Vid. LORKII *Beytraege* part. I. p. 55.

§. VII.

In Lapponia, qua Suecis subiecta est, multos adhuc esse numinum fictorum cultores, neminem, putamus, ignorare. Eo maiore laude digna est sapientissimorum Sueciae regum cura, quam omni aeuo in eo collocarunt, vt ad rectiores de Deo opiniones illi perducerentur. Nihilominus ipse rerum vsus docuit, consiliis parum respondisse euentum; sed FRIDERICI regis, ad caelites nunc translati, ordinumque regni Sueciae decretis et beneficiis nostro seculo potissimum omnia ad meliorem formam redacta fuerunt. Celebrantur maxime decreta, quae in comitiis ann. CIↃIↃCCXXXVIII. facta sunt: * ac laetiores passim de fortunato eorum exitu adferuntur nuncii. Nec negligentiores esse Danos in partibus Lapponiae, quas tenent, certis documentis constat. **

§. VIII.

Ita inter gentes paganas doctrinae purioris, quam Lutheranorum coetus amplectitur, propagatio facta est. His iure suo adiungere libet *Iudaeos*, aeque ab omni ciuitate Christiana alienos. Ex

* Conf. *acta historico-eccles.* vol. X. p. 867. XIII, 578. XIV, 282. XV, 230. et BOCKIVM loc. cit. pag. 257-70.

** Vid. ERICH IO. IESSEN p. 601-688. *der VI. St. der Dænischen Bibliothek*; qui missionis acta vsque ad 1744. enarrauit.

Ex his vti omni tempore fuerunt, qui ſalutari euangelii luce ſe paterentur colluſtrari; ita caeleſti benignitati tribuendum eſt, quod nec noſtra aetate deſint laudabilia Iudaeorum, qui ad noſtra ſacra tranſierunt, exempla. At in his enarrandis quo minus longiores ſimus, ipſa huius ſcriptionis ratio prohibet. Satis erit, admiranda ſtudia commendare, quae inde ab ann. CIↃIↃCCXXVIIII. venerandus ac celeberrimus Halenſium theologus, IO. HENR. CALLENBERGIVS, in eo collocauit, vt non ſolum translatis in linguas, quibus Iudaei vtuntur, et diſſeminatis variis ſacri codicis partibus aliisque libellis bonae frugis; ſed ablegatis etiam viris piis et doctis, vberiorem Iudaei nanciſcerentur occaſionem ad cognitionem doctrinae Chriſtianae perueniendi. Quales fuerint immenſi laboris fructus, quantaque ſit bonorum omnium ſpes, fore, vt in dies maiores ad ſanctiorem ciuitatem ex inſtituto illo reddant, ipſe ſtudioſe expoſuit. * Eiusdem optimi viri opera via muniri cepit, et *Muhamedanis*

* Vid. CALLENBERGII *Relation von einer weitern Bemyhung, Ieſum Chriſtum den Iuden bekannter zu machen*, cuius prima pars ann. CIↃIↃCCXXXVI, vltima ann. CIↃIↃCCLI. prodiit: eiuſdem *Nachricht von einem Verſuch, die Muhamedaner zur Erkænntniß Chriſti zu bringen;* cuius prima pars ann. CIↃIↃCCXXXIX. in lucem exiit: et *fortwæhrende Bemyhung um das Heil des jydiſchen Volks*, anno CIↃIↃCCLII. ſqq.

danis et Graecis aditum ad salutarem Christi cognitionem patefaciendi.

§. IX.

Neque omnibus accessionibus Lutheranorum coetus caruit in variis, praeter arcticas, Europae prouinciis. Nolumus quidem de singulis dicere, qui, relictis pontificiorum maxime castris, ad eum transierunt; ex quibus, si quid iudicamus, FRANCISCVS ROTHFISCHERVS haud indignus est, cuius memoria posteris commendetur. Insignem vero Salisburgensium copiam, nefas esse, putamus, silentio praeterire. In prouincia illa et adiacente tractu Berchtolsgadensi inde a Waldensium aeuo insignem exstitisse piorum hominum copiam, qui abhorrerent a superstitiosis Romanorum religionibus, et Lutheri opera in lucem reuocatam doctrinam puriorem amplecterentur, aeque constat, * ac miserrimum illorum fuisse statum et innumera vexationum genera, quibus a sacrificulis fuere adfecta. ** Quare superiori nostroque seculo nonnulli patriam relinquere cepere; alii vero, qui ibi permanere maluere, clandestinis sacris, more antiquissi-

* v. PETRI LVDWIGIADAE erste Beylage zu seiner *rechtlichen Erläuterung der Reichshistor.* pag. 525. sqq.

** v. IO. GE. SCHELHORNII histor. Nachr. vom *Vrsprunge, Fortg. vnd Schicksale der evangel. Relig. in den Salzb. Landen.*

quissimorum Christi cultorum, dedere operam. * Tristiore hi maxime vsi sunt fortuna; quum LEOPOLDVS ANTONIVS, ex illustrissima Firmianorum gente ortus, Salisburgensium constitueretur episcopus, qui nihil omisit, quod ad exstirpanda puriora sacra faceret. Qua re miseri coacti sunt, ad legatos ordinum euangelicorum, in comitiis Ratisbonensibus congregatos, confugere atque ab illis petere, velint efficere, vt concederetur ipsis emigrandi beneficium, sanctissima pacis Westphalicae lege constitutum. Faustissimus fuit consilii euentus: mirifica liberalitas, qua cuiusuis ordinis homines optimos veritatis confessores exceperunt: regia certe benignitas, qua illos Borussiae maxime et Angliae reges amplexi sunt. Eo tandem res venit, vt circiter xxx. millia et paullo vltra eum numerum, ex patriis sedibus discederent, easque partem in Borussiae, partem in Americae terris figerent; nonnulli vero in Germaniae vrbibus remanerent.** Insignes ex

* Vid. quae dixi in *der Geschichte der Ev. L. K. libr.* III. *Cap.* I. §. 6.

** Opuscula breuiora, quibus memoria Salisburgensium, qui ex patria migrarunt, posteritati commendata fuit, silemus. Notitiam eorum suppeditant auctores *der fortgesetzten Sammlung von alten vnd neuen theol. Sachen* ann. CIↃIↃCCXXXII. sqq. et COLERVS in *biblioth. theol. select. part.* LXII. sqq. Commendamus vero maxime ill. MOSERI *Actenmaessigen Bericht von der ietzigen Verfolgung der Evangelischen in Salzburg*, cuius duodecim prodiere partes,

his Lutheranorum coetus fuisse collectos: condita templa: constitutos sacrorum ministros: non solum testimoniis certis est exploratum; sed ipsa rei natura nos docet. Neminem quoque, putamus, ignorare, ab eo tempore plures hos esse sequutos, suoque exemplo et alios et vicinos Austriacarum partium incolas excitasse, vt spes sit aliquibus fore, vt obtineant aliquando ecclesiae illae occultae plenam veritatis confiteudae libertatem.*

§. X.

Nisi omnia me fallant, itidem inter Diuinae erga nos benignitatis documenta referendum, nostrates consequutos esse in nonnullis prouinciis et vrbibus facultatem, libere sacra sua peragendi, qua antea caruere. Quo loco numeroque habenda est FRIDERICI, Borussorum regis, regia certe cura, qua, Silesia magna virtute parique gloria partes, ann. CIↃIↃCCXXXII. CHRISTOPH. SANKENS *ausfyhrliche Historie der Emigranten*, Lipsiae ann. CIↃIↃCCXXXII. itidem variis partibus comprehensam, et GOECKINGII *Emigrationsgeschichte*, Francof. ann. CIↃIↃCCXXXIV. 4.

* Quae nostra aetate in Austria fuere Lutheranorum fata, aduersa potius, quam laeta haberi debent. Cessit quidem Vngariae regina miserorum clamoribus et precibus, ita vt magnam illorum partem in Transsiluaniam ire iuberet; sed dubium est, num, mutata sede, fortuna quoque fuerit mutata. Copiose omnia ex *actis historico-ecclesiasticis* hauriri posse, non est, quod moneam.

ria sibi subiecta, nouis suis ciuibus, Lutherano cultu initiatis, prospexit. Quo grauius fuit periculum, in quod sub Austriacorum imperio erant adducti; quo plura vexationum genera, quibus per tot lustra adfecta; quoque peiores artes, ad exstirpandum omne Lutheranorum nomen et ex Silesia proscribendum excogitatae et comparatae: eo auspicatiores ciuitati puriori exstiterè triumphi et victoriae, Diuinitus tunc Friderico concessae; eoque maiores gratias prudentissimo regi habere nos oportebat, quum pacem reparatam, reddita Dei cultoribus templa, coetibus restitutos doctores, ac fortunatum rei sacrae statum, postliminio quasi fuisse reuocatum videremus. * Nostro quoque seculo contigit, vt in amplissimo Russorum imperio varia templa, Lutheranorum vsui dicata, exstruentur; ** in ipsa vero Sibiria a Suecis, bellocaptis, cogeretur ecclesia, *** quam, nouimus, adhuc supereſſe. Ea contra non satis compertum habemus, num Constantinopoli

* Studiose collecta restitutae Silesiis libertatis iurisque sacrorum monimenta, exhibent eadem *acta historico-eccles.* vol. V. p. 831. et quae illud sequutae sunt, eiusdem operis particulae.

** Enumerauit illa clar. ELIAS CASP. REICHARDVS in *dem gegenwaertigen Staat von Rußland* p. 729. sqq.

*** Vid. CVRT. FRID. de WREECH *Histor. von den Schwedischen Gefangenen in Rußland und Siberien.* 1729.

conditum fuerit Lutheranorum templum, cuius exſtruendi copiam Suecis fecerat nuperus Turcarum Imperator.* Eiusdem vero Muhamedis V. clientelae obnoxia in Walachia, Bukereſti, ann. CIↃIↃCCLII. templum euangelicis condere permiſſum, ſequentibus conſummatum, mox ſacerdos, Tranſſiluanus ortu, eſt datus. Praeter haec alia quoque huius generis exſtare exempla, licet non dubitemus, prohibemur tamen noſtri inſtituti legibus, quo minus in illis percenſendis ſimus longiores.

§. XI.

Accedamus ad *Reformatos*, ex quorum numero tum Belgarum, tum Anglorum ſtudia, iure ſuo praedicari oportet, Chriſtianae ciuitatis fines latius proferendi. Ea quidem, quae per Lutheranos in prouinciis, vtrisque ſubiectis, geſta ſunt, hoc loco nolumus repetere. Anglorum cura maximè Americanis dicata eſſe videtur; ex quo ampliſſimum collegium, quod a propaganda fide ** tulit nomen, gentisque vniuerſae egregium eſt ornamentum, conſtitutum, et maxime a GVILIELMO III. regiis beneficiis auctum,

* Vid. *act. hiſtor. eccleſ.* vol. VI. p. 846. et vol. VIII. p. 624.

** Conf. BENTHEMII *engliſcher Kirchen- vnd Schulen-Staat*, p. 141. ed. 1732. et die *Nachricht von dem Vrſprung vnd Abſichten der Geſellſchaft zur Beforderung Chriſtlicher Erkaentnis in England*, in *act. hiſtor. eccl.* vol. III. p. 157. ſqq.

auctum, admirandam in eo collocauit operam, vt fere in vniuerso terrarum orbe euangelii doctrina disseminaretur. Praeter hanc, et in Scotia, et in ipsa America, similes coaluere societates. Quales horum conatuum fuerint euentus, vt distinctius cognoscatur, monere nos oportet, varia esse studiorum genera, quae ad obtinendum, quod expetunt, adhibent pii viri. Alii enim potissimum Scotis montanis, quorum haud pauci notitia veritatis Christianae carent, se consecrarunt; nec minor fuit exspectatione euentus. Alii vero in Americanis ad cognitionem veri Dei perducendis studia sua collocant. Celebratur maxime in his missionariorum opera, qui in noua Anglia et Carolina commorantur. His addi oportet alios, qui in insulis Bermudensibus, in Virginia, in tractu, ad Sauanae fluuium posito, et aliis, eodem labore funguntur. Ex eorum numero, qui *Methodistarum* nomen sortiti sunt, ipse WHITFELDIVS, WESLAEI fratres et INGHAMVS multam laudem consequuti sunt. Si vera fateri libet, inter omnes Europae gentes Angli maxime opportunam nacti sunt occasionem, rei Christianae fines in nouo orbe proferendi. Quod vt fiat, omnes boni precantur. *

§. XII.

* Ex nostris legantur ven. STEINMETZII *glaubwyrdige Nachricht von dem herrlichen Werke Gottes zu Nordhampton*: eiusdem *Fortsetzung*, ann. CIↃIↃCCXLV. et *Kloster-Bergische Sammlung tom. I. p. 657. sq.* vbi elegantissima PHIL. BEARCROF-

§. XII.

Simili amore, de ciuitate Christiana bene merendi, nostra aetate *Belgae* commendantur. Quod Angli in India occidentali, id Belgae in orientali officium praestant cultoribus idolorum. Vltra XLVIII. praecones euangelii in variis prouinciis, Batauiae maxime et in Ceylanensi insula aluntur. Illustris IMHOFIADAE cura non satis laudari potest, quam ad subleuandos illorum labores contulit. Non possumus vero omittere nomen IACOBI ELISAE IOANNIS CAPITEIN, qui ex ipsa Maurorum gente ortus, in Lugdunensi musarum sede multas collegit doctrinae sanctioris opes, et sacerdotum numero adscriptus in patriam rediit, vt ciuibus suis consilia Diuina de eorum salute nunciet.*

§. XIII.

Summum vero esse eorum, qui Pontifici Romano obsequii vinculo obstricti sunt, studium, ex

TII de societatis de propaganda fide faustissimis conatibus oratio exhibetur; ven. FRESENII *Pastoral. Sammlungen tom. III. p. 155. sqq.* et *tom. IV. p. 1. sqq.* Ex Anglis, quae proximo seculo gesta fuerint, copiose expositit COTTON MATHERS in *magnalibus Dei Americanis*, Lond. ann. CIↃIↃCCII. editis. Recentiore aetate commentarii DAN. NEALII multum laudantur; vt taceam, quae ex OLDMIXONII *British empire in America*, libro egregio et germanice edito, hauriri possunt.

* Conf. *act. histor. eccles. tom. VI. p. 892.*

ex gentibus profanis coetum ſuum augendi, neminem, putamus, ignorare. Ampliſſimum certe adgredimur argumentum, de quo longa confici poteſt oratio, maxime ob controuerſias ſatis celebres, inter ipſos legatos ſacros exortas et totam Romanenſium eccleſiam perturbantes. At breuitati nos ſtudere oportet; nec repetere ea libet, quae a CYPRIANO * dicta ſunt, ex aliorum commentariis, ſi qua in illis deſiderantur, facile et corrigenda et augenda.** Id quidem ſilentio praetermitti non poteſt, omnes ſacrarum legationum curas inter Ieſuitas, Dominicanos et Franciſcanos Capucinosque eſſe diuiſas; tantum vero abeſſe, vt iuſta animorum concordia in perficiendo negotio elaborent; vt innumeris etiam diſſidiis ſe ipſos mirifice dilacerare ſoleant. Quae quidem controuerſiae licet potiſſimum ad Sinenſes et alias in orientis partibus inſtitutas miſſiones attingant; hoc tamen loco ceteris, quae de his legationibus dici oportet, praemitti, opus eſt. Conuenit quidem inter omnes, Ieſuitas a ſuis aduerſariis variorum criminum adcuſari, quae hoc vno capite poſſunt comprehendi, eos deprauatum introducere doctrinae et morum ſyncretiſmum. Hinc non aperto ore dogmata, quibus gentes ſuper-

* *Compend. hiſtor. eccleſ.* libr. III. p. 70. et 80.

** Neminem, credo, rem omnem et breuius et maiore cura ac perſpicuitate tractaſſe beato MOSHEMIO in *inſtitut. hiſtor. eccleſ. p. 827. ſqq. ed. 1755.*

perſtitioſae addictae ſunt, condemnant; ſed adprobant et mutatis nominibus ad Chriſtianam diſciplinam adcommodare ſtudent; et, ne exempla deſint, mirificam iactant inter placita Chinenſium et Chriſtianorum concordiam. Superſtitioſos vero ritus, quos alii Chriſtiano nomine indignos eſſe putant, nouis ciuibus lubentes permittunt eosque excuſant. Longae hinc ortae ſunt querelae, ad pontifices Romanos delatae, vt hi de modo hoc, gentes ad Chriſtum conuertendi, proferrent ſententias. Illi quidem ſuo officio deeſſe noluere; ſed longo rerum vſu experti ſunt, nihil difficilius eſſe, quam ſuperbo hominum generi, ſuis legibus viuere adſueto, omnia ex ſua vtilitate metienti, et rerum copia adfluenti, imperare. Mirifica certe eſt ſcriptorum aeque magnae, atque exiguae molis multitudo, quae in vtramque partem in lucem ſunt emiſſa.* Romana quidem curia numquam non aliena fuit a ſtudiis Ieſuitarum; variisque decretis et inſtitutis et legationibus illuſtrium virorum, deprauatos, quos in Sinenſi imperio aliisque partibus ſectantur, mores emendare voluit. Clementem XI. noſtra aetate CAROLVM AMBROSIVM MEDIOBARBVM ann. CIↃIↃCCXIX. in Chinam miſiſſe, dixit

* Notitiam eorum ſuppeditat THOM. MAMMACHIVS *origin. et antiquitat. Chriſtian.* tom. II. p. 407. et b. KAPPIVS in der *Sammlung von alt- vnd neuentheol. Sachen* ann. CIↃIↃCCL. p. 620. ſqq. et ann. CIↃIↃCCLII. p. 222. ſqq.

xit CYPRIANVS. Quamuis ille multa Sinensibus permitteret, quae nomine Christiano indigna sunt; nec tamen haec lenitas, nec pontificis auctoritas sufficerunt ad reprimendas artes Iesuitarum, qui, beneuolentia imperatóris muniti, omnia consilia peruertere studuere. Post Clementem XI. Benedictus XIII. et Benedictus XIV. simili modo varia decreta Iesuitis opposuere; sed quam parum obsequii praestiterint, satis patet. Nemo tamen omnium diligentior fuit in describendis nefariis illorum hominum fraudibus NORBERTO, ex Capucinorum familia.* Quamuis legati huius coetus sanctioris omni cura memoriam suorum laborum posteritati commendare soleant;** difficile tamen esse videtur, vera a falsis dignoscere; difficilius, rerum, quas a se gestas esse, gloriantur, breui complecti oratione memoriam, et singulas partes adcurate enarrare.

§. XIV.

Rem ordiamur ab vltima India. Antiquissima in peninsula citra Gangem erat legatio *Madaurensis*;

* Satis celebres sunt eius commentarii, qui hac inscriptione: *Memoires historiques, presentés au souverain Pontife, Benoit* XIV. ornati et in quatuor volumina distributi, Lucae ann. CIↃIↃCCXLV. 12. prodierunt. Addantur eiusdem *lettres apologetiques*, 2 tom. CIↃIↃCCXLVI. 12.

** Quo spectant: *lettres edifiantes et curieuses ecrites des missions etrangeres*, cuius pars XXVII. Paris. ann. CIↃIↃCCXLIX. prodiit.

renſis; eique ſub finem ſeculi proximi acceſſere *Marauienſis*, et noſtro *Carnatenſis*; hae vero omnes iacent proſtratae, decreto maxime Benedicti, quod commemorauimus. Nec meliorem fere fortunam experiuntur, qui in prouincia *Malabarica* his ſtudiis operam dant. Habent certe in regno Tranquebarienſi et adiacentibus aliis Coromandelae tractibus ſua templa: callide verſantur in conuertendis gentibus ſuperſtitioſis; malitioſe in vexandis noſtratibus. *Madraſtae* et *Cudulurii* ſedes olim habuere miſſionarii pontificii; ſed ab Anglis electi ſunt, quod maximam partem Galli erant. *

§. XV.

Incredibiles vero ſuorum laborum fructus praedicant Ieſuitae aliique, quos in *Sinenſi* imperio tulerint. Nihilominus certum, inconſtantem & variam fuiſſe eorum fortunam. Quamuis enim negari nequeat, omni tempore in aula imperatoris multos eſſe ex Loiolae familia, doctrinae et maxime in artibus mechanicis excellentiae nomine ipſi caros; tantum tamen abeſt, vt libera illis ſit facultas euangelium nunciandi; vt repetitis decretis grauius animaduertatur et in praecones

* Hoc loco commemorare fas eſt IOANNIS FACVNDI RAVLIN *hiſtoriam eccleſiae Malabaricae*, quae Romae ann. CIↃIↃCCXLV. 4. in lucem prodiit. Multa ibi maxime contra LACROSIVM diſputantur, digna certe, quae a viro docto conuellantur.

cones et in eorum discipulos. Nunciarunt quidem, ann. CIↃIↃCCLII. denuo pacem esse restitutam; constantem tamen illam futuram esse, est certe, cur desperemus. *

§. XVI.

Apud *Tunquinenses* eadem fuisse videtur rei Christianae fortuna. Quamuis mirae fuerint vexationes, quibus Christiani ann. CIↃIↃCCXXI. ibi adfici ceperunt; nihilominus missionarii omnem spem conseruandi et augendi illorum coetus haud abiecerunt; tristi tamen experientia edocti sunt, consilia sua exoptato carere exitu.

§. XVII.

Ad *Iaponenses* difficillimus illis est aditus. Immanis incolarum erga Christiano-catholicum nomen furor, superiori seculo, omnem fere ex animis eripuit spem recuperandae, qua olim vsi erant, libertatis. A. CIↃIↃCCXV. GVIDONIVS rei fecit periculum; nec sine omni fructu eum laborasse relatum est. Commemorant quoque, ann. CIↃIↃCCXLIX. denuo nonnullos ex Augustini familia ad illos discessisse; sed latet nos, qualis eorum fuerit fortuna. Simili modo incerta et exigui momenti esse videntur, quae de lega-

* Vid. IO. LAVR. MOSHEMII *Erzehl. der neuesten Chinesischen Kirchengesch.* Rostoch. ann. CIↃIↃCCXLVIII. 8.

legationibus *Tibetenſi*, *Bengalenſi* et *Perſica* paſſim perhibentur.

§. XVIII.

Ex *Africa* pauca adlata ſunt, quae ad hunc locum pertineant. Eſſe quidem ibi nonnullos ſacerdotes, conſtat; ſed maior eſt eorum diligentia in liberandis captiuis ex barbarorum vinculis, quam perducendis ad cognoſcendam veritatem hominibus profanis. ANTONII ZVCCHELLI operas, quas in Abeſſinia adhibuit, laudant, quos ipſe reliquit, de itinere ſuo commentarii; ſed quae conſequuta ſunt, exſpectationi parum reſponderunt.

§. XIX.

Satis laeta ſunt, quae de INCA-CASSEL, qui in vna e Moluccis inſulis, Gilolo dicta, regnat, conuerſione et ſtudiis, religionem Chriſtianam in regno ſuo propagandi, nunciarunt. *

§. XX.

Quum ampliſſimae Americae partes Luſitanorum, Hiſpanorum et Gallorum poteſtati ſubiectae ſunt, opportuna ſane oblata eſt illorum ſacerdotibus occaſio, Chriſtiana ſacra propagandi. Num recte illa vtantur, eſt, cur dubitemus. Multa

* Vid. *Beytraege von alten und neuen theologiſchen Sachen* ann. CIↃIↃCCLI. p. 266. et ann. CIↃIↃCCLII. p. 651.

Multa quidem iactantur maxime de Loiolitarum in *Paraquaria*, * *Peruuienſibus* et *Canadae* prouinciis ſtudiis; ſed nequit negari, pleroſque tantam curam ponere in colligendis opibus, confirmandoque, quod obtinuere, imperio, vt vel ipſi Hiſpani eos metuere ceperint.

§. XXI.

Denique fieri non poteſt, vt admirandum fileamus ſtudium, quod Rutheni, imperantibus feliciter et glorioſe ANNA et ELISABETHA, in eo collocarunt, vt cum Muhamedani, tum fictorum numinum cultores in latiſſime patentibus imperii prouinciis diſperſi, ad Chriſtianum coetum perducerentur. Omnem fere fidem excedere videntur, quae quotannis de ingenti eorum numero perhibentur, qui ſacris baptiſmi ritibus initiari ſe voluere. Facile tamen mente concipi poteſt, quonam pacto tantae progreſſiones inter gentes barbaras & nonnumquam omnis religionis expertes fieri poſſint: ſi vera ſunt, quae de legatorum ſacrorum methodo, illis baptiſmum non conferendi, ſed vi et armata manu inferendi, relata legimus. **

* Laudatur MVRATORII libellus de miſſionibus Paraquarienſibus, Italice Venetiis ann. CIↃIↃCCXXXIII. editus; parum tamen vtilitatis noſtro argumento adfert.

** Vid. GMELINI *Reiſe durch Sibirien*, tom. I. p. 267. 334. ſq.

CAPVT III.

DE DOCTRINAE CHRISTIANAE ET EVANGELICAE STATV PRAESENTI.

§. I.

Sanctiſſima religionis Chriſtianae dogmata, in diuina ſcriptura tradita, ſumma Dei cura conſeruata eſſe et propagata, innumeri theologorum libri, qui hoc ſeculo in lucem prodiere publicam, abunde teſtantur. Qui vti in omnium manibus verſantur, ita lubentes ſuperſedemus labore, qui in colligendis recentibus ſcriptoribus de praecipuis doctrinae Chriſtianae partibus poni poſſet. Nihilominus vtimur, quam oblatam nobis eſſe ſentimus, occaſione, nonnulla hoc loco dicendi, quae nefas eſſet, ſilentio transmitti; hac tamen lege, vt, quae de controuerſiis enarrari poſſint, ad alium locum differamus.

§. II.

Quod ad vniuerſas theologiae partes attinet, de *methodo*, eas aliis vel ore, vel litteris tradendi, haec velim notentur. Graeci et Pontificii nihil in illa immutarunt, hi nec mutare quidquam poſſunt. Quamuis enim nonnulli fuerint, qui ſtudia ſacrarum litterarum ſuis commenda-

rent

rent ac publice deprauatas nonnullas doctrinas reprehenderent: verendum tamen est, ne exigua sint commoda, quae ad vniuersam illorum ecclesiam redundent. Haec potissimum de praesulibus Vindobonensi et Gurcensi intelligi cupimus, quorum hic sine dubio propius accessit ad veritatem. Plerique constantes sunt in defendendis grauissimis erroribus; pauci, in quorum numero QVIRINVS habendus erat, in eo studia sua collocant, vt decipiant rei imperitos mutatis verbis et formulis, quibus eadem animi sensa declarant.

§. III.

Lutheranorum haec quidem sub initio seculi cura fuit, vt simplicitatem orationis restituerent et dimitterent ex scholis suis philosophorum formulas, quas rixarum et controuersiarum saepe fontes fuisse, intellexerant. Alii medium tenere cursum maluere, et crediderunt, secernenda esse praua a bonis, retinenda, quae apta sint ad perspicuitatem et ἀκρίβειαν orationi conciliandam; abiicienda vero, quae ad ostentandam ingenii excellentiam faciunt, sed omni carent vtilitate. Optandum fuisset, vt nunquam de hac via, quam, si quid iudicamus, tutam et optimam esse, quisque bonus sentit, discederetur.

§. IV.

At quum philosophicae disciplinae noua veste ceperunt indui, et WOLFII potissimum ex-

emplo aliis perſuaderi, nihil certum eſſe, nihil elegans, nihil eruditi hominis perſona dignum, niſi ea, quae vera ſunt, vera eſſe geometrarum more demonſtretur; praeterea LEIBNITII et WOLFII ſectatores grauius tulerunt, ipſa dogmata philoſophica theologiae puriori haberi infeſta: vt dimouerent a ſe ſuſpicionem impietatis, et Wolfianam philoſophandi methodum ad tractandas diſciplinas ſanctiores transferre, easdem placitis huius ſcholae explicare, illuſtrare et confirmare, tentarunt. Habuerunt ex Reformatis nonnullos, qui laudarent illos et imitarentur. Vt ex multis paucos nominemus, CANZIVS, BILFINGERVS, REINBECKIVS, CARPOVIVS, SCHVBERTVS; WYTTENBACHIVS aliique ad hunc locum pertinent.

§. V.

Quae de hac re geſtae ſunt, inter viros doctos, controuerſiae ab hoc quidem loco longius abſunt. Id vnum tantum monere, noſtrum eſt, ex noua hac theologorum familia haud paucos procul dubio contra id, quod iuſtum eſt, peccaſſe: peruerſa ſua voluntate ad ipſa μυστηρια demonſtranda abripi ſe paſſos eſſe, et maxime a vero, omnis theologiae ſcopo aberraſſe. Compoſito illo bello, ſenſim detecti abuſus, et liberiori animo vera a falſis diſcerni ceperunt. Studia quoque, polite et eleganter dicendi ac ſcribendi, quae noſtra aetate mirifice vigent, effecerunt, vt

ſterilem

sterilem et adstrictam orationem, mathematicis relinquendam; cetera vero copiose et ornate proferenda esse, multi censerent.

§. VI.

Gloriosum certe est nostro seculo, scripturae sacrae, artique, illam rite intelligendi aliisque interpretandi, iustum tribui pretium: licet nec suis careat antiscripturariis. Varii vero sunt generis labores, quos viri docti ad laudabilem hunc scopum obtinendum susceperunt. Primo loco versiones codicis Diuini commemorandae sunt. Ex his nonnullae confectae sunt, vt vsibus illarum gentium inseruirent, quae nullas antea habuere huius generis translationes. Quo loco habendae sunt, quas tum missionariis Danicis in India orientali; tum ven. CALLENBERGIO; tum Belgis, et maxime studiis IMHOFIADAE debemus, modo integri codicis, modo illustrium illius partium interpretationes *Lusitanica*, *Malabarica*, *Indostanica*, *Malaica*, *Cingalensis*, *Ebraica*, *Arabica*, *Persica*, *Turcica*, *Neo-Graeca*, *Syriaca* et *Iudaco-Germanica*: item *Venedica*, Budissinae a. CIↃIↃCC-XXVIII. in lucem publicam emissa. Quae de Persica, quam THAM. KOVLICAN adornari voluisse, fertur, ad nos peruenere, dubia sunt: certum, consilia eius ad finem haud fuisse perducta. *Italicae* N. T. versiones, quarum altera MATTH. BERLANDVS DELLA LEGA et IAC. PHIL. RAVIZZA Erlang. ann. CIↃ-

IↃCCXI. et IO. GOTTL. GLYCKIVS Altenburg. ann. CIↃIↃCCXLIII. ediderunt, itidem hanc ob cauſſam confectae videntur; vt verbo diuino maior pateret ad nobiliſſimam gentem aditus, quae vſu illius priuari ſolet. Aliae verſiones illuſtrandis potius libris diuinis dicatae ſunt. *Germanicae* N. T. verſiones huc ſpectant, quas ven. HEVMANNO, beato BENGELIO et ampliſſimo MEIERO ferimus acceptas. Ex quo numero eximendas eſſe, quisque bonus intelliget, verſiones hominum quorundam ingenii peruerſi, ad corrumpendos aliorum animos ac diſſeminandos haud paucos errores adcommodatas, cuius generis ſunt *Latina* IOANNIS HARDVINI, *Gallica* CAROLI LE CENE et *Germanica* CASP. ERN. TRILLERI, IO. HENRICI REIZII, *Berleburgenſis*, IO. IAC. IVNKERROTHII, *Wertheimienſis*, Timothei Philadelphi, hoc eſt IO. KAYSERI et comitis ZINZENDORFII. Si ferrent noſtri inſtituti rationes, vt adducerentur ſingulorum librorum translationes, a viris doctis confectae, ingens certe illarum numerus confici poſſet.

§. VII.

Sed alia quoque ſtudium philologicum et exegeticum cepit incrementa. Magna eſt illorum copia, qui ſacras litteras interpretari, ſibi ſumſerunt. Si vera fateri libet, interpretes noſtri aeui praeſtant antiquioribus et diligentia, in explicandis verborum, quibus diuini ſcriptores mentis

ſuae

ſuae ſenſa ſignificarunt, notionibus veris, et cura repetendi a profanae eruditionis monimentis praeſidia ad iuſtam ſacri codicis interpretationem conficiendam. Commendabunt imprimis annales poſteritati memoriam ALB. SCHVLTENSII, quem ſi dixeris vindicem verae rationis ebraeam linguam tradendi, parum a vero aberrabis. Neque negare libet, haud paucos a recta via declinaſſe: peccaſſe contra in eo, quod nimium eſt, et potiſſimum in comparanda lingua noui teſtamenti cum purioris ſtili Graeci magiſtris, et congerendis, non dicam orientis populorum, Graecorum et Romanorum; ſed cuiusque fere terrarum gentis ritibus, iuſtum modum exceſſiſſe. Ne exemplum rei deeſſe videatur, ex omnibus vnum nominari, ſatis eſt, WETSTENIVM, de cuius animo, ſanctiori de Deo recte ſentientium doctrinae admodum infenſo, poſthaec conquerendi locus erit. Hoc loco de incredibili mole obſeruationum dicimus, quibus libros N. T. obruit, vt, num tenebras magis, an lucem illis adtulerit, dubium ſit. Hypotheſibus inſeruire, nondum cepit turpe haberi. COCCEIANAE quidem ſenſim proſcriptae, aliae vero excogitatae. Hoc vero in noſtris recte reprehenditur, quod, dum verba tractant, res nimis negligant, licet Diuina prouidentia ſeruauerit viros praeſtantes, qui magis ſapiunt, et vtraque, inuicem coniuncta, nolunt diuelli.

§. VIII.

§. VIII.

In explicandis doctrinae Christianae capitibus multum laborarunt. Aegre ferendum, plerosque veterum theologorum praecepta tantum non contemnere. Quae supra de studio, omnia ad rationis aeque sanae, ac male sanae leges reuocandi, dicta sunt, nolumus repetere. Nihilominus non defuere, qui malo medicinam adferrent verasque rationes nexus, quo ratio cum reuelatione cohaeret, ostenderent.

§. IX.

Symbolicae theologiae studia non plane neglecta esse, et nouae librorum symbolicorum editiones docent, et aliae commentationes, quae lucem illis adferre debent.

§. X.

Theologiae elencticae magnae factae sunt accessiones, nouis exortis veritatis hostibus, veteribus non exstinctis; sed iisdem, quibus maiores eorum vsi sunt, armis rectiorem doctrinam impugnantibus, pristina etiam arma opposita.

§. XI.

Morum doctrinae eadem fuit cum dogmatica fortuna, dum vtraque arctius cohaeret. Nonnulli seuerius vitae genus commendare; alii deprauatae naturae iusto plus indulgere. Patuit haec discordia, quum de ἀδιαφόροις disputaretur. Ingens librorum numerus ad virtutis laudem compositus.

positus. Ex his haud pauci in Pelagianorum agris videntur nati.

§. XII.

Iurisprudentiae diuinae lucis aliquid adtulere philosophi, iuris naturalis rationes sedulo scrutantes. Iidem tamen, nimium non vitantes ipsi, quae natura nobis insita est, legum diuinarum notitiae iusto plus tribuere: quae supra rationis vires posita, ad iudicium eius reuocare: legibus positiuis vbiuis bellum indicere, et argumentis, quibus voluntatem ad virtutis studium sludent commouere, tantam adscribere vim, vt vera verae virtutis principia, quae in sola Dei gratia et fidei excitatione posita sunt, proscribi videantur. Accedit, nonnullos ex his, dum *obiectiuam* illam actionum humanarum *moralitatem* vrgent, haud raro eo prolabi, vt sanctissimas Dei leges in consilia commutent; nec summi numinis voluntate, cui, certum est, nos esse subiectos; sed nostro potius erga nos ipsos amore, cui nouum perfectionis studii nomen imposuere, nos ad recta et laudabilia sectanda, obstringi, sibi persuadeant.

§. XIII.

Laetiora fata contigere iurisprudentiae ecclesiasticae. Quamuis enim nonnulli ex Iureconsultis graue bellum theologorum sententiae inferrent, qua, nescio quale, episcopale ius illius prin-

pium esse statuitur, ac dum ex ipsa summe imperantium maiestate omnia circa sacra iura, tamquam ex fonte fluere, ita docerent, vt sacra profanis miscere et de auctoritate legum atque institutorum diuinorum detrahere viderentur; feliciter tamen, auctore maxime PFAFFIO, collegialia iura in suum locum restituta, et quae Dei, quae caesaris, quae ecclesiae sunt, probe distincta. Quantam haec res habeat vim ad conseruandam ciuitatis Christianae tranquillitatem et amouenda pericula summa, quae Germaniae maxime ex transitu principum nonnullorum ad aliena sacra imminent, neminem quidem, putamus, ignorare.

§. XIV.

Ex numero disciplinarum theologicarum historiam ecclesiasticam eximi nefas est. Huius laude nostra aetas proxima secula facile superabit. In ea illustranda, colligendisque rerum veterum monimentis certatim laborarunt Germani, Angli, Galli et Itali, tam pontificii, quam euangelici, nec non reformati. Pauci ad ea prolapsi, quae vitia habentur; licet nec diffiteamur, aeque paucos sine religione, vti dicunt, et sine patria fuisse. At haec hominibus ignoscenda.

§. XV.

Quod supereſt, arti orationes sacras recitandi, varia tribuerunt studia. Bina sunt vitia, a quibus, difficile fuit, animos auocari. Alii discri-

men,

men, quod inter cathedras philosophorum* et pulpita sacra interest, ignorantes, tam subtiliter tamque obscure, ne quid peius dicam, de Diuinis rebus dixere, vt scholasticis similes, ablegato euangelio, non Aristotelis ethicam; sed potius WOLFII metaphysicen enarrare viderentur. Alii elegantiae sermonis nimium indulsere verbaque sesquipedalia recitare, laudi duxere. Vtrisque ceteri firmo animo restiterunt, praeceptisque suoque exemplo docuerunt, simplicitatem rerum, auctoritatem verbi Diuini, et grauitatem orationis magis decere oratorem ecclesiasticum; quam philosophorum argumenta et anxie conquisita verborum lenocinia.

§. XVI.

Liberiori animo haec diximus, vt pateat, quid placeat, quidue displiceat in nostri aeui doctoribus. Concludimus piis precibus, vt Deus conseruet nobis verbum suum purum, et sapientiam liberaliter largiatur omnibus doctoribus, tam academicis, quam ecclesiasticis, recte dogmata caelestia tradendi, confirmandi ac defendendi.

CA-

* Legesis ven. ERNESTI *initia rhetorica p. 6-10.* et quae de philosophicis concionibus nuperrime agitata sunt.

CAPVT IV.

DE RITIBVS, REGIMINE ET DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

§. I.

Eorum, quae hac parte noſtrorum commentariorum complecti libet, haec eſt conditio, vt, de variis Chriſtianae religionis coetibus diſtincte agendi, impoſita nobis ſit neceſſitas. Quare primo loco de proteſtantibus dicemus. Admodum enim exigui momenti eſt diſcrimen, quod hoc loco inter Lutheranos et Reformatos intercedit.

§. II.

Vtriuſque eccleſiae ritus vix immutari potuere. Haec tamen commemorare nos oportet:

a) Inter Lutheranos confirmandi caerimoniam in Germaniae pleriſque prouinciis fuiſſe introductam. Haec vero ita peragi ſolet, vt pueri et puellae, vbi primum ad vſum ſacrae coenae admittuntur, coram vniuerſo coetu, fidei profeſſionem edant ſolemnem: a miniſtro ſacrorum ſui officii, eamdem conſtanter ad finem vitae conſeruandi, admoneantur: ſe ita facturos eſſe, publice promittant et impoſita manu, quaeuis bona precetur illis ſacerdos. Ex quo regiis et prin-

principalibus exemplis laudabile inſtitutum fuit confirmatum, in dies plures accepit laudatores.

b) Contra ea *priuatae confeſſionis* et *exorciſmi* triſtior fuit fortuna. In nonnullis prouinciis vterque ritus abrogatus: in aliis liber relictus omnibus, prout lubitum fuerit, aut vti illo; aut eum omittere: in ceteris reſeruatus. *

c) Neque ea negligenda videntur, quae de nonnullis caerimoniis in prouinciis Lutheranis, Boruſſiae regi ſubiectis, acta fuere. Poſtquam enim rex FRIDERICVS GVILIELMVS literis, Berolini d. VI. Nou. ann. CIↃIↃCCXXXVI. ſcriptis ** ritus canendi preces eccleſiaſticas, verba conſecrationis ſacrae coenae, et benedicendi formulam; nec non ſtolas albas aliaſque veſtes ſacerdotales ceteraque huius generis proſcripſerat, magnae ob id excitatae ſunt turbae; quum ex ſacro ordine nonnulli priſtinos mores ſeruare; alii mandato regio obſequium praeſtare, mallent: ita vt ex illis quidam exilii poena adſicerentur. At quum in patris locum ſucceſſiſſet Fridericus II. auguſtus, ea fuit benignitate erga ciues ſuos Lutheranos, vt poſtliminio ritus memoratos reſti-

* De exorciſmo legatur inprimis IO. MELCHIOR. KRAFTII liber: *ausführliche Hiſtorie vom Exorciſmo.* Hamb. CIↃIↃCCL. 8.

** Exſtant in *act. hiſtorico-eccleſ.* vol. II. p. 231.

ſtituendi illis copiam faceret. * Qua quidem plerique vſi ſunt.

§. III.

De diebus feſtis haec habeto. Summa Dei benignitate euangelicis contigit, vt pie perage-rent varios dies ſeculares. Eos quidem, quibus memoria purgatorum LVTHERI opera ſacrorum renouata fuit anno CIↃIↃCCXVII. iam ſilentio praetermitto, a CYPRIANO commemoratos. ** Sed addi iis debent

1. *Secularia confeſſionis Auguſtanae* imperatori Carolo V. traditae, per vniuerſum orbem, ſacris noſtris addictum, a. CIↃIↃCCXXX. celebrata. ***

2. *Secularia typographicae artis*, qua Reformationi via ſtrata eſt; a. CIↃIↃCCXL. agitata.

3. *Secularia pacis Gueſtfalicae*, non ab omnibus coetibus Germaniae proteſtantibus peracta,**** ann. CIↃIↃCCXXXVIII. et CIↃIↃCCL.

4. *Secu-*

* Vid. ibid. vol. IV. p. 880. ſq.

** Cap. III. §. 4.

*** Incredibilis fere eſt numerus libellorum et commentationum, quibus viri docti vbiuis ſeculariorum horum memoriam poſteris commendarunt. Suppeditant eorum notitiam: auctores *der Sammlung von alten und neuen theol. Sachen* anno CIↃIↃCCXXX. p. 1260. ſqq. ann. CIↃIↃCCXXXI. p. 1036. ſqq. et 10. CHRIST. COLERVS *in dem Supplement zur auserleſenen theologiſchen Biblioth.* Lipſ. ann. CIↃIↃCCXXXIII. 8.

**** Vid. *acta hiſtorico-eccleſiaſt.* tom. XII. p. 880. ſqq. et tom. XIII. p. 727. ſqq.

4. *Secularia pacis religioſae*, a. CIↃIↃCCLV. ab omnibus fere eccleſiis Germanicis pie celebrata. *

Haec feſta quaſi vniuerſalia dixeris. Praeter ea in variis prouinciis nonnullorum beneficiorum Diuinorum, quae illis ſpeciatim ſalutaria exſtiterunt, memoriam ſecularem renouarunt. Sed de his non eſt, cur copioſe dicamus.

§. IV.

Contra ea ſtatorum dierum feſtorum numerus, quum iuſtum modum excedere videretur, in Suecia ** ac nonnullis Germaniae prouinciis, Boruſſicis maxime et Guelpherbytanis, fuit imminutus.

§. V.

Neque hoc loco ſilentio praetermitti, fas eſt, controuerſiam de paſchali die, inter Romanenſes et Proteſtantes exortam. Quum illi ſequuntur faſtos Gregorianos, hi calendarium nouum emendatum, recentiore demum aetate ab Anglis Suecisque vſu receptum, accidit, vt ann. CIↃIↃCCXXIV. et CIↃIↃCCXLIV. grauius inter ſe diſſentirent et vtraque pars diuerſo tempore paſcha celebraret. ***

§. VI.

* Vid. *act. hiſtorico-eccleſ.* tom. XIX. p. 280. ſqq. et HENR. ENGELBR. SCHWARZII *Iubel-acta*, 8. Lipſ. CIↃIↃCCLVI. vol. 2.

** Vid. *act. hiſtor. eccleſ.* tom. VI. p. 407. ſqq.

*** De iis, quae ad ann. CIↃIↃCCXXIV. pertinent,

§. VI.

Simili modo huc pertinent, quae tum a Boruſſiae rege, tum in Anglia ſancitae fuere, leges matrimoniales. Illae potiſſimum ad gradus prohibitos * ict dimortia, ** hae vero ad clandeſtinas initiationes referuntur.

§. VII.

Non omnes abuſus ex noſtris coetibus eſſe proſcriptos, triſti animo confiteimur. In his inundinationes ſacrorum munerum, quibus nonnullae prouinciae adhuc opprimuntur, primum locum obtinent, licet grato animo adgnoſcamus, pleroſque magiſtratus ad tollendum vitium grauiſſimum ſalutari conſilio laboraſſe. Nec dubitamus, in eundem cenſum referre prauam conſuetudinem, qua multos dolemus eſſe infectos, ſacris coena, baptiſmo, aliis, temere priuatim vtendi, cui itidem nonnullorum principum mandata fuere obiecta.

§. VIII.

Regiminis eccleſiaſtici haec eſt facies, vt imperantium iura, niſi dilatata, ſaltim magis illuſtrata

vid. *Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen* ann. CIↃIↃCCXXIII. p. 463. ſqq. 798. ſqq. ann. CIↃIↃCCXXIV. p. 791. ſqq. et de his, quae ann. CIↃIↃCCXLIV. geſta ſunt, vid. *act. hiſtorico-eccleſ.* tom. VIII. p. 667. ſqq.

* Vid. illuſtris GEORG. HENR. AYRERI *tr. de iure diſpenſandi circa connubia iure Diuino non diſerte prohibita*, edit. Goetting. ann. CIↃIↃCCXLII. 4.

** Vid. *acta hiſtor. eccleſ.* vol. XVI. p. 141.

ſtrata et confirmata fuerint. Longae hinc inter iuris peritos ſacroſque doctores excitatae contro-uerſiae, in quibus ſi ex vtraque parte nonnihil peccatum fuiſſe, credas, minus aberrabis a veri-tate. De his, qui extra Germaniam puriori coe-tui addicti ſunt, non habemus, quod dicamus. In Germania leges publicae egregie fuerunt de-fenſae contra impetus, quos hoſtes minabantur. Prouidentia imprimis corporis euangelici non ſatis laudari poteſt, qua cautum fuit, ne res pu-blica proteſtantium quid caperet detrimenti.

§. IX.

Circa diſciplinam eccleſiaſticam mitiores ſen-tentiae placere ceperunt. Imminuta certe po-teſtas ſacrorum miniſtrorum, alios a communione ſacrae coenae excludendi, haecque imperantibus, aut conſiſtoriis vindicata. Exemplo eſſe poſ-ſunt, quae hanc in rem potentiſſimus Boruſſiae rex ſanciuit. *

§. X.

Accedimus ad *pontificios*. Quamuis innu-meri videantur, quos colunt, caelites; illis ta-men conſultum viſum fuit, exercitus caeleſtis conſcribere ſupplementa. Retulit vero in ſan-ctorum numerum:

Clemens XI. ann. CIↃIↃCCXII. Pium V. pon-tificem Romanum, Andream Auellinum, Feli-

* Vid. ibid. tom. VIII. p 732.

cem de S. Cantalicio et Catharinam de Bononia. *

Benedictus XIII. ann. CIↃIↃCCXXVI. Turibium Magrobesium. Iacobum de Marchia, Agnetem de monte Politiano, Peregrinum Laziasium, Ioannem de Cruce, Franciscum Solanum, Aloysium Gonzagam et Nicol. Costka et a. CIↃIↃCCXXIX. Ioannem Nepomucenum.

Clemens XII. ann. CIↃIↃCCXXXVII. Vincentium de Paullis, Franciscum Regis, Iulianam Falconeriam, Catharinam Fliscam. **

Benedictus XIV. ann. CIↃIↃCCXXXXV. Fidelem a Sigmaringa, Camillum de Lellis, Iosephum a Leonissa et Catharinam de Ricciis. *** Quibus addere voluit Innocentium XI. pontificem; num addiderit, ignoramus. Simili modo nonnulli in beatorum censum relati sunt.

§. XI.

Bina hoc seculo ecclesia Romana celebrauit more suo iubilaea, *prius* ann. CIↃIↃCCXXV. auspice Benedicto XIII. **** *posterius* a. CIↃIↃCCL. iubente Benedicto XIIII. *****

§. XII.

* Vid. IVSTIN. CHIAPPONI *act. canonizat. Sanctorum Pii V.* cet. Rom. CIↃIↃCCXX. fol.

** Vid. *act. historico-eccles.* tom. II. p. 358.

*** Acta huius ἀπογραφῆς exhibentur *tomo V. operum* BENEDICTI XIV. Romae a. CIↃIↃCCXLIX. edito.

**** Vid. *die ausfyhrliche Nachricht von dem R. C. Iubeliahr*, edit. ann. CIↃIↃCCXXV. §. p. 57. sqq.

***** Vid. *act. histor. eccles.* tom. XV. p. 326. sqq.

§. XII.

Insigni *dierum festorum*, qui in eadem peragi solent, numero idem, quem diximus, Benedictus XIV. addidit nouum, septem gaudiis Mariae dicatum, regis Lusitaniae precibus adductus, ann. CIↃIↃCCXLV. * Nec minus iussit, Romae memoriam S. Petri octo diebus colere, ann. CIↃIↃCCXLIII.

§. XIII.

Nihilominus laudabili consilio hic Benedictus grauissimum detrimentum adferre rei publicae et saluti ciuium, intellexit, numerum festorum; eumque diminuendum esse, censuit. Emisit hanc in rem litteras publicas, quibus curatius definiuit, quinam dies ex illis essent retinendi, quiue futuro tempore abrogandi. Quamuis hoc non esset mandatum omnibus coetibus, qui eum colunt, praescriptum: exempli tamen vtilitate aliae prouinciae fuere commotae, vt idem imitari, sibi vellent permitti; nec precibus expetitus euentus defuit. In his ditiones Austriacae, tam, in Italia, quam in Germania sitae, principem locum obtinent. Attamen non defuerunt, qui prouidam pontificis curam, vt ne superstitiosis otiis tempus perderetur, acrius reprehenderent, ac publice dubitarent, num iure sibi adroget potestatem, ecclesiae praecepta et decessorum de-

* Vid. ibid. tom. XI. p. 900.

creta immutandi. Id quidem certum est, nouo hoc exemplo abunde confirmari, nec pontifices a contradicendi sibi periculo esse immunes. *

§. XIV.

Idem vero Benedictus seueritatis suae dedit specimen, quum haud paucos, intelligeret, negligentiores esse in seruandis ieiuniis. Quare litteras vulgauit publicas ad omnes sacrorum praesules perscriptas, iisque mandauit, vt nec prouinciis integris, nec priuatis hominibus carnis vsum concederent; nisi summa necessitas id postularet. **

§. XV.

Praeter haec nondum superstitiosos ritus prauaque instituta, quibus illorum auctoritas solet confirmari, ex coetu illo proscribi potuisse, satis certum est.

§. XVI.

Hierarchiae conseruandae, amplificandaeque adnodum deditos esse, eo minus miramur, quo clarius est, hac sublata, totum aedificium necessario corruere. Quod ad curiam Romanam adtinet

* Vid. *Raccolta di scritture concernenti la diminuzione delle feste di precetto*, edit. Lucae ann. CIↃIↃCCXLVIII. 4. et *acta histor. eccles.* tom. XV. p. 907. sqq. Parum abfuisse, constat, quin Vindobonae seditio oriretur, a plebeiis excitata, qui parte sua voluptatis se priuari suspicabantur.

** Vid. ibid. tom. VI. p. 678. sqq.

tinet, ſummum pontificum imperium et auctoritatem, ſupra omnium hominum errandi fortem longiſſime elatum, in ſcholis maxima doctorum pars defendere pergit. Attamen neque aulicis regum miniſtris, neque aliis inferioris ordinis, ſemper eamdem eſſe ſententiam, luculentis comprobatum eſt exemplis. In his, ſi quid iudicamus, primarium locum tenet CLEMENTIS XI. bulla *vnigenitus*, cui Gallia, Belgium, atque ipſae Italiae prouinciae nonnullae, contradixerunt. Sed de hac poſtea dicemus.

§. XVII.

Romae patrum purpuratorum auctoritas ita eſt aucta, vt nonnunquam voluntati paparum reſiſtere audeant. Nepotiſmi peſtem nondum exſtinctam eſſe, Clementis XII. exemplo cognitum fuit. In eumdem cenſum referre nos oportet, quae a Nicol. Coſcia, * patre purpurato, ſub Bene-

* Incredibile fere videtur, quantam Coſcia pecuniae copiam breui tempore, quo curiae Romanae praefuit, congeſſerit: quanta crimina ei fuerint obiecta quamaque poena ipſi ſub Clemente XII. fuerit irrogata. At magis mirum, Benedictum XIV. contraria omnia de illo ſtatuiſſe, adeo vt eum in priſtinum honoris et dignitatis locum poſtliminio reſtitueret. Tum certe anteceſſorem ſuum haud falli potuiſſe, non credidit. Conf. *acta hiſtorico-eccleſ.* vol. I. p. 507. vol. IV. p. 1050. ſqq. et *Leben und Begebenheiten des Card. Coſcia*, Lipſ. CIↃIↃCCXXXIII. 8.

Benedicto XIII. gesta sunt. Haec si quis sine partium studio expenderit, facile iudicabit, num consilia & conatus pontificum opera spiritus sancti, an auaritia, superbia, aliisque voluptatis peruersae generibus, regantur et perficiantur.

§. XVIII.

Ipsa purpura Romana nonnunquam viris concedi debuit, quos noluere ipsi pontifices ea exornari, legesque ecclesiasticae vix permisere. VINCENTIVS BICHIVS vt eam obtineret, Ioannes V. Lusitaniae rex frustra Clementem XI. Innocentium XIII. et Benedictum XIII. commouere studuit; Clemens vero XII. tandem voluntati regis cessit: sapientissime ratus, consultius esse, Bichium cardinalem salutari; quam totam Lusitaniam ab ecclesia Romana facere discessionem. * Idem Clemens precibus Elisabethae Hispaniarum reginae satisfecit, vt filio eius, vix nouem annorum puero, pileum imponeret, ** quem recentiore aetate ipse deposuit.

§. XIX.

Maius momentum habuit consilium Ioannis Lusitani, Vlyssipponensem praesulem patriarchae titulo et dignitate exornandi, a. CIↃIↃCCXVII. perfectum. Aegre id quidem tulit Clemens XI. sed

* Vid. RANFTII *Leben des ietzt regierenden Papsts und aller lebenden Cardinaele* p. 450. sqq.
* Vid. ill. ESTORIS elegantem *commentationem de cardinali impubere.*

sed noluit refragari. Clemens XII. addidit ann. CIↃIↃCCXXXVIII. nouo patriarchae officio purpurae decus, vt cardinales singuli patriarchae futuro tempore creentur.

§. XX.

Nec silentio praetermitti, fas est, *vicariatus* munus, ab Friderico II. Borussorum rege constitutum, creditumque ann. CIↃIↃCCXLIII. Philippo Ludouico comiti Sinzendorfio, antistiti Vratislauiensi. Benedictus XIV. huic instituto, quantum potuit, resistere ausus est; at vero quum bene intelligeret, nihil a se posse effici, consensum suum rite declarauit. *

§. XXI.

Contra ea abrogata fuit patriarchae Aquileiensis dignitas. ** Quum prouinciae, quarum cura ecclesiastica patriarchae Aquileiensi olim credita fuit, partem domus Austriacae, partem rei-publicae Venetae imperio subiectae sunt; legibus pactisque fuit sancitum, vt modo haec, modo illa, alternandi iure, antistitem sacrorum constituerent. Veneti variis artibus consequuti erant, vt ciues ipsorum sibi per longum spatium succederent, Austriacique omni carerent occasione suo iure fruendi. Grauissimas igitur querelas Vngariae regina ad Benedictum XIV. detulit,

* Vid. *acta historico-eccles.* vol. VII. p. 204.
** Vid. ibid. vol. XV. p. 833. sqq.

atque ab ipso impetrauit, vt practiceret sacris prouinciarum istius dioecesis Austriacarum praesulem vicarium, ann. CIↃIↃCCXLIX. Sed iniuriam sibi inferri, credebant et Veneti, et Daniel Delfinius, qui patriarchae locum tenet, omnemque operam vna cum Quirino et Rezzonico, patribus purpuratis, ad id adhibebant, vt Benedictum ad mutandam sententiam commouerent. Hic in illa firmiter stetit; nec solum passus est Capellum, Venetorum legatum, vrbe discedere; sed iussit etiam Quirinum, intercluso simul ad alloquendum papam aditu, Brixiam reuerti. Tandem cesserunt Veneti voluntati pontificis, et cum Vngariae regina ann. CIↃIↃCCLI. fecerunt pacta; quorum summa in eo posita est, vt patriarchatus Aquileiensis perpetuo supprimatur, duoque erigantur archiepiscopatus, quorum vnus Vtini, alter Goritiae. constituatur; Delfinius vero, quoad in viuis esset, pristina iura retineret.

§. XXII.

Variae controuersiae, quae pontificibus nostro seculo cum imperatoribus et imperio Romano, Gallo, Sardo, Siculo aliisque intercesserunt, spectant quidem maximam partem ad iura ciuilia; faciunt tamen ad cognoscendum, quantum casca illa erga sedem Romanam obedientia fuerit remissa. Clemens XII. et Benedictus XIV. haud raro coacti fuere, iura circa sacra magistratibus concedere, quorum antea illis nulla erat copia.

§. XXIII.

§. XXIII.

Disciplinae ecclesiasticae, maxime quoad vitam moresque Clericorum, studiosus fuit Benedictus XIII. legesque dedit, quae ad honestatis cultum et obseruantiam illos adstringunt. Quod si dicere licet, quod res est, omnia ista instituta ingenio pontificis egregie fuere accommodata; quod tale fuit, vt leuissimas et minimas res sedulo curaret, maximas vero et grauissimas penitus negligeret.

§. XXIV.

Excommunicationis rarior vsus nostro aeuo; interdicti nullus. Illius quaedam exempla exstant, alio quoque nomine memorabilia. Sub Clemente XII. dux Graninae, vibis in Neapolitano regno positae, vna cum amicis, a praesule sacrorum illius ciuitatis communione ecclesiastica fuit proscriptus. Sed Neapolitani illum susceperunt in tutelam: sacerdotes mandatis episcopi nullum praestare obsequium, iusserunt; episcopum vero in ius vocarunt. Idem Clemens XII. quum nobilissimae matronae de Weeveld parochus sacrorum vsu interdixisset, excommunicationem illam nullam esse, iussit. *

§. XXV.

Inquisitionis horrendum aliquatenus nomen vbi semel introductum fuit, adhuc constanter retinetur.

* Conf. *acta historico-eccles.* tom. II. p. 710. et tom. III. p. 27.

retinetur. Hiſpaniae tamen et Luſitaniae qui nunc praeſunt reges eius poteſtatem nonnihil imminuere, auſi ſunt. Vterque decreta collegii a ſe ipſo vult prius cognoſci et confirmari, quam efficiantur. Luſitanus praeterea bona damnatorum fiſco regio in ferri iuſſit.

§. XXVI.

Haereticos comburendos eſſe, multos adhuc ex illo coetu credere, ſuo exemplo Heluetii ann. CIↃIↃCCXLVII. demonſtrarunt, quum nonnullos ciues flammis addicerent, qui hoc vnum crimen admiſerunt, quod nihil ſe credere, profeſſi ſunt, niſi ſcripturae ſacrae teſtimoniis queat confirmari. * Huc quoque pertinet Maria Renata, quae in monaſterio inferioris Cellae prope Herbipolin vixit: ann. CIↃIↃCCXXXIX. criminis maleficii adcuſata et Herbipoli miſere combuſta fuit. ** Non potuit fieri, quin ſapiens quisque Renatam illam non ſolum innocentem, ſed etiam longe alias ſubfuiſſe cauſſas, cur triſti morte illam adficerent iudices, ſuſpicaretur. Memorabile eſt, in ipſa Italia viros doctos libere iudicaſſe, nullo modo ferri poſſe hanc crudelitatem, docteque confutaſſe GAARIVM Loiolitam, qui inficeto libello et exiſtere ſagas et iure flammis tradi, docere, ſibi ſumſerat. ***

§. XXVII.

* Vid. ibid. tom. XII. p. 227. ſq. tom. XIII. p. 675.
** Vid. ib. tom. XIII. p. 370.
*** Vid. IO. BAPT. GRASERII *propugnat. adnotat. criti-*

§. XXVII.

Ecclesiae *Graecae*, si a Ruthenica discesseris, eadem nunc est forma, quam CYPRIANVS descripsit. * Illius pars, quae Turcarum imperio subiecta est, regitur adhuc a quatuor patriarchis, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano. Quamuis tristissimus Graecorum sit status: mirifice tamen constantes sunt in conseruanda sua religione, et effugiendis periculis, quae a tentata saepius cum Romana ecclesia conciliatione metuunt.

§. XXVIII.

Suo exemplo id didicit Ieremias III. patriarcha Constantinopolitanus. Qui a munere suo remotus, quum ann. CIↃIↃCCXXXI. pristinam dignitatem recuperare vellet, Latinorum potissimum auxilio munitus, id effecit, vt Graeci publicis litteris Paisii, quem elegerant, a Turcarum imperatore, munus confirmandum curarent. **

§. XXIX.

Ritus sacros immutatos retinent, adeo vt neque illi Graeci, qui ad pontificis Romani obedien-

criticarum in sermonem de Maria Renata saga, edit. Venet. ann. CIↃIↃCCLII.

* Legatur praecipue IACOBI ELSNERI *neueste Beschreibung der griechischen Kirche in der Tyrckey*. Berolin. CIↃIↃCCXXXVII. 8. et eiusdem *Fortsetzung der neuesten Beschreibung* anno CIↃIↃCCXLVII. 8.

** Vid. ELSNERI *Beschreib.* p. 59. sq.

cdientiam redigi se passi sunt, nihilominus diuersis vtantur caerimoniis, quae a Romanis multum discrepant. * Vitae monasticae studiosi esse dicuntur.

§. XXX.

Ruthenicae ecclesiae fortunatiores recentiore aetate contigere vicissitudines, quas PETRO I. imperatori acceptas fert. Dogmata quidem intacta reliquit; maximopere vero curauit, vt rectius explicentur: aniles fabulae et superstitiosae opiniones proscribantur: homines litterarum expertes, arceantur a muneribus sacris: scholae vbique constituantur, adeoque ignorantia tam sacerdotum, quam multitudinis depellatur. Quamuis non potuit fieri, vt intra paucos annos voluntati augustae satis fieret; sperandum tamen est, fore, vt in dies maior lux ilhs tractibus adfulgeat.

§. XXXI.

Rei sacrae olim summum imperium penes patriarcham Moscouiticum fuit, superiori seculo ab obsequii vinculis, quibus ante Constantinopolitano erat obstrictus, liberatum. At supremam hanc dignitatem PETRVS I. non solum sup-

* Nonnihil lucis huic argumento adferunt QVIRINI *officium quadragesimale recognitum*, Rom. ann. CIↃIↃCCXXVII. 4. et *enchiridion Graecorum*, CIↃIↃCCXXVII. §. Vtrumque Graecis purioribus non potest non summopere displicere.

fupprellit; fed etiam ann. CIↃIↃCCXIX. *facram fynodum* conftituit, cuius caput femper imperator eft, eiusque curae eccleſiam Ruthenicam omnem regendam commiſit. Quamuis huius collegii, in quod viri docti et graues tam facri ordinis, quam laici cooptari ſolent, ingens ſit auctoritas; tamen voluntati imperatoris, aut imperatricis eſt ſubiectum. *

§. XXXII.

Ritus eccleſiaſtici nihil immutati. Imaginum cultum imminuere ſtuduit PETRVS I. Ruthenos non omnes, qui ex aliorum Chriſtianorum ad ipſorum caſtra tranſeunt, ſacro lauacro initiare, exemplo ſereniſſimae vxoris auguſti magni ducis conſtat. Monaſteria tollere, decreuerat PETRVS I; ſed mutauit animum, ac ſatis habuit, legibus cauere, ne detrimenti quid ex illis capiat res publica.

§. XXXIII.

Libera, quam PETRVS I. ceteris partibus religioni Chriſtianae conceſſit, ſua ſacra faciendi poteſtas non patitur, vt in illo imperio diſciplina grauiore in diſſentientes animaduertatur. Nec ignorari poteſt, quanta ſeueritate iuſſerit, clerum

* Mandatum PETRI I. de re ſacra prodiit Ruſſice Petropoli ann. CIↃIↃCCXXIII, et Germanice, gothiſch *Reglement* inſcriptum, ann. CIↃIↃCCXXIIII, Gedan. conf. REICHARDI *geſchichte von Staat und Regirung* cap. XII. p. 688. ſqq.

clerum excommunicatione prudenter et circumspecte vti. Nihilo minus et varia exempla, et ipsa dogmata STEPH. IAVORSKII, luculenter explicant, quonam animo sint illi sacrorum praesules erga alios, quos haereticos putant.

§. XXXIV.

Denique patriarchae Graecorum facere nos oportet mentionem, qui coetibus illorum *Vngaricis* praepositus est et archiepiscopi Carolouicensis titulo vtitur. Num ex Graecis vnitis, an purioribus, coetus illi Vngarici sint, certe quidem definire, non audemus; prius tamen vero simile putamus.

CAPVT V.

DE CONTROVERSIIS RELIGIOSIS.

SECTIO PRIMA

DE CONTROVERSIIS CVM ATHEIS.

§. I.

Tristi animo accedimus ad varias controuersias, quae nostro seculo cum hostibus veritatis, recte sentientibus interceserunt. Eorum, qui contra religionem Christianam omnem dimicarunt, tantus est numerus, vt superioribus tem-

temporibus parem vnquam exſtitiſſe, iure noſtro dubitemus. Duplex eſt illorum genus, ita vt alii, etſi Deum exſiſtere non negent, tamen talia adprobent dogmata, quibus, nullum eſſe ens ſupremum, quod omnia creauit et ſapientiſſime gubernat, iuſto concludendi modo deducitur; alii vero modo acerbius, modo mitius, reuelatam religionem, Diuinam ſcripturae ſacrae originem et doctrinam de Chriſto inſectentur. Aequitatis quidem leges a nobis poſtulant, vt diſcernamus prauos a peioribus; nec confundamus, quae inter ſe diſcrepant. Nihilo minus habet hoc officium nonnihil difficultatis, maxime quod nonnullos videmus ita ſuas ſententias exponere, vt arduum ſit, num inter atheos, nec ne, referendi ſint, adcurate definire. Ne cui iniuriam nos inferre putemur; quum nulli ſunt, qui atheiſmum theoreticum directum defenderint; de illis hac ſectione diſputabimus, quos Spinoziſmum, ſiue pantheiſmum, amplexos eſſe, ſupra omnem dubitationem poſitum eſt.

§. II.

Primum locum ſuo iure inter Spinoziſtas noſtri ſeculi IOANNES TOLANDVS * tenet. In Hibernia natus fuit d. XXX. Nou. ann. CIↃIↃCLXIX. religionique pontificiae addictus, hanc deſeruit

* Quum CYPRIANVS p. 320. nimis pauca de TOLANDO et LAVIO tradidit, de vtroque curatius dicere, noſtrum eſſe putamus.

deſeruit et prauiſſimis opinionibus ſe capi paſſus eſt. Poſtquam varia in Germaniam aliaſque Europae partes fecerat itinera, finiuit vitam, ſatis miſere actam, anno CIↃIↃCCXXII. Immane odium erga Chriſtianam religionem eiuſque ſectatores concepit, varioſque compoſuit libellos, quibus ſuos errores propoſuit. Noſtrum eſt, enumerare illos, quibus dogmata iſta continentur; de his vero, qui argumentum tractant, a re ſacra alienum, nulla eſt cauſſa, cur plura dicamus.

I. Primum ergo commemoramus libellum, cuius hanc voluit eſſe inſcriptionem: *Chriſtianity not myſterious*, hoc eſt, Chriſtianiſmus, myſteriis carens. Prodiit Londini ann. CIↃIↃCXCVI. et repetitus eſt ann. CIↃIↃCCII. Nihil, docere ſibi ſumſit, in doctrina Chriſti eſſe, quod ſupra rationis humanae vires ſit poſitum. Quum flammis libellum adiudicarent Hiberni, cauſſam ſuam egit auctor, ſcripſitque *apologiam*, anglice, ann. CIↃIↃCXCVII. et CIↃIↃCCII. editam.

II. Deinde in lucem emiſit *letters to Serena*, Londini CIↃIↃCCIV. *Serenam*, cui has epiſtolas inſcripſit, Boruſſiae reginam Friderici I. vxorem eſſe, nulla eſt dubitandi cauſſa. Parum abeſt, quin omnem de ſpiritu doctrinam inter falſas opiniones, ſiue praeiudicia, referat. Immortalitatem animae negat poſſe cognoſci, niſi ex reuelatione. Contra philoſophiam SPINOZAE, cui poſtea acceſſit, diſputat. Motus denique cauſſam in materia ineſſe, ſtatuit.

III.

III. Porro ſcripſit libellum : *adeiſidaemon ; ſiue Titus Liuius a ſuperſtitione vindicatus*, eique adiecit : *origines Iudaicas ; ſiue Strabonis de Moyſe et religione Iudaica hiſtoriam breuiter illuſtratam*, ann. CIↃIↃCCIX. 8. Priori libello ſuperſtitionem ita reprehendit, vt facile intelligatur, maximam dogmatum Chriſtianorum partem eodem loco ab ipſo haberi. Poſterior in Moſen ac fere omnem reuelationem eſt iniurius.

IV. Accedit opuſculum: *Nazarenus ; or Jewiſh, gentile, and Mahometan Chriſtianity* ; hoc eſt, *de Chriſtianiſmo Iudaico, gentili et Mahamedano*, quod Lond. ann. CIↃIↃCCXVIII. 8. bis lucem vidit publicam. Mirifica id continet ſomnia, quorum ſumma eſt, veram Chriſti doctrinam contineri ficto illo *Barnabae euangelico*, atque ex hoc cognoſci, religionem Muhamedanam omnino eſſe Chriſtianam, qualem olim Ebionitae et Nazaraei amplexi fuerint; coniunctam quippe cum lege caerimoniali, quam ſolus D. Paulus, indignantibus ceteris apoſtolis, abrogauerit.

V. Peſſimum perinde ac rariſſimum, quem TOLANDI ingenium excluſit, fetum eſſe, omnes conſentiunt, *pantheiſticon ; ſiue formulam celebrandae ſodalitatis Socraticae*, edit. Coſmopoli ; ſiue Londini ann. CIↃIↃCCXX. 8. cuius argumentum ipſa inſcriptio ſatis declarat. Ne de puerilibus conuiciis, quibus Chriſtiana ſacra proſcidit, quid dicamus ; in eo omnem poſuit

operam, vt pantheiſmum aliis ſtudioſe commendaret; atque hac re effecit, vt recte de Spinoziſtarum grege habeatur porcus.

VI. Denique, ſublato ex hac vita TOLANDO, prodiit: *a collection of ſeveral pieces of Mr. John Toland, now firſt publiſh'd from his original manuſcripts*; ſiue *collectio variorum opuſculorum Io. Tolandi, quae nunc prima vice ex illius manuſcriptis emittuntur*; cuius bina exſtant volumina, Londini ann. CIↃIↃCCXXVI. 8. Opuſcula diuerſi ſunt argumenti; nonnulla tamen iisdem ſcatent erroribus, quos aliis ſcriptis tradidit. *

§. III.

Non potuit fieri, quin doctiſſimi viri, quibus curae cordique fuit religio, TOLANDO ſe oppo-

* De IOANNE TOLANDO variiſque, ab illo conſcriptis, libellis legantur: IO. LAVR. MOSHEMIVS in *commentat. de vita, fatis et ſcriptis Io. Tolandi*, quam adiunxit *vindiciis antiquae Chriſtianorum diſciplinae*, editis Hamburg. ann. CIↃIↃCCXXII. 8. IO. PETR. NICERONIVS in *memoir.* tom. I. p. 251. et tom. X. p. 23. et tom. XI. p. 57. et 81. edit. Germanic. CORTIVS, bibliopola Londinenſis, qui ſcripſit: *an account of the Life and writings of Mr. John Toland*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXII. 8. *memoirs of the Life and writings of I. T.* quae *collectioni* poſthumorum, ſupra commemoratae, adiectae ſunt: ven. pater IO. GEORG. WALCHIVS *in der Einleit. in die Religions-Streitigk. auſſer der Ev. L. K.* vol. V. p. 73. ſqq. et ven. SIGISM. IAC. BAVM-

opponerent. Data opera in certamen cum illo ingressi sunt: *

IAC. FAYVS, cuius exstat *defensio religionis; nec non Mosis et gentis Iudaicae*, edit. Vltraiecti ann. CIↃIↃCCIX. 8.

ELIAS BENOIST, qui TOLANDI somnia confutauit in *melange de remarques sur l'homme sans superstition, et les antiqu. Judaiques de Mr. Toland*, Delphis anno CIↃIↃCCXII. 12.

THOMAS MANGEY, cui debemus: *remarks upon Nazarenus*, Londin. CIↃIↃCCXVIII. 8.

IAC. PATERSON, cuius libellus hac inscriptione est ornatus: *Anti-Nazarenus by way of Answer to Mr. Toland.* Lond. ann. CIↃIↃCCXVIII. 8.

IO. LAVR. MOSHEMIVS, qui multa cura contra TOLANDVM in *vindiciis antiquae Christianorum disciplinae aduersus Tolandi Nazarenum*, denuo cum praefatione I. FR. BVDDEI Hamburgi, ann. CIↃIↃCCXXII. 8. editis, disputauit, aliosque laudauit, qui eodem officio functi sunt. Tacemus de BRETTIO, BVDDEO,

BAVMGARTENIVS in *den Nachrichten von einer Haellisch. Biblioth.* vol. III. p. 334. sqq. et in *den Nachrichten von merkwyrdigen Bychern*, vol. VIII. p. 26. et 217.

* Plures laudauit FABRICIVS in *Syllabo script. de V. R. Ch.* p. 480. sqq. adde LILIENTHALII *theolog. Biblioth.* p. 281. sqq.

DEO, DEYLINGIO aliisque, qui pugnam cum TOLANDO susceperunt.

§. IV.

Paucis, quae de Spinozismo THEODORI LVDOVICI LAV a CYPRIANO * dicta sunt, haec addimus. Is postquam in Curonia consiliarii dignitate aliisque muneribus amplissimis functus erat, ** ann. CIↃ IↃCCXVII. 8. breuissimum opusculum in lucem emisit, cui hic est titulus: *meditationes philosophicae de Deo, mundo et homine*; nec solum multa ignominiosa de sacra scriptura tradidit; sed etiam aperte errores SPINOZAE protulit. Quod ita esse, quum Iurisconsultorum Halensium ordo pronunciasset, varia contra hanc sententiam molitus est, *** secessitque Erfordiam, vbi legitimae scientiae doctor est creatus. Tristi postea vsus est fortuna, et modo in hanc, modo in illam delatus prouinciam, nullibi sedem figere potuit. Regiomonti ann. CIↃ-IↃCCXXIX. prauas suas doctrinas damnauit,**** licet

* *Comp. histor. eccles.* p. 321.

** Nonnulla huius viri fata exposuit NEMEIZIVS *in den vernynftigen Gedanken*, part. III. p. 72. sqq.

*** Vid. CHRISTIAN. THOMASII *Gedanken yber iuristische Haendel*, part. I. p. 233. sqq.

**** Exstat illustris viri de GROEBEN oratio, ad Lauium habita, quum retractaret suas de religione sententias. Quam quum minus recte edidissent auctores *der Sammlung von alt-vnd neuen theol. Sach.* ann. CIↃIↃCCXXXI. p. 242. sqq. ipse LAVIVS eam

Alto-

licet poſtea conſtanter negauerit, ſe vmquam ad Spinozae partes acceſſiſſe. Eum a. CIↃIↃCCXL. vitam finiuiſſe, notum eſt. *

§. V.

In Belgio orta eſt circa a. CIↃIↃC XXXIII. *Hattemiſtarum* ſecta; ſed cura Magiſtratuum breui tempore penitus diſſipata. Nomen ſortita eſt a PONTIANO VAN HATTEM, qui in inſula S. Philippi, Seelandiae adiacente, ſacerdotis officio functus, ob graues errores ab illo fuit remotus, vitamque egit priuatam. Ex ſectatoribus eius maxime celebratur HENRICVS WOVTELAER, qui *Innocentii Denoti* nomen adſciuit varioſque libellos ad defendendas ſuas opiniones in lucem edidit. Laudatur inprimis HATTEMI opuſculum: *Val van de Werelds Afgod*, quo tradidit ſua ſomnia, quibus BERN. SAM. CREMERVS, IOANNES VAN DER WAYEN, IAC. FERDINANDVS VAN DAVERVELD, GVIL. SPANDAW, ſe oppoſuere. **

Altonahae CIↃIↃCCXXXVI. 4. typis curauit deſcribendam, eique alia nonnulla rei geſtae monimenta adiecit.

* De atheiſmo LAVII egit quoque ven. pater in *der Einleit. in die Religionsſtr. auſſer der E. L. K.* tom. V. p. 77. ſqq.

** Vid. *die Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen*, ann. CIↃIↃCCXXXIII. p. 791. ſqq. et *acta hiſtorico-eccleſiaſtica*, vol. I. p. 361. et vol. VI. p. 10-60. ſq.

§. VI.

Quamuis HATTEMVM in Spinoza nonnihil reprehendisse, ferant; certum tamen, eum omnino dogmata illius esse amplexum; at quum displiceret illi, qua vsus est Spinoza, methodus mathematica, eadem somnia aliis formulis et verbis scripturae sacrae, quibus impias subiiciebat notiones, expressisse. Patet id ex variis eius doctrinis, quas ita referre licet, vti eas vendidit DAN. GERDESIVS * recitauit:

I. Nullam esse Diuinae voluntatis libertatem, sed quaecumque is velit, eum per necessitatem suae naturae velle: **

II. Nec dare Deum posse leges; nec praemia, aut poenas distribuere: ***

III. Veram rectamque esse Spinozae sententiam, non nisi vnam in hac rerum vniuersitate esse substantiam: ****

IV. Hinc sequi, vt nec homines substantia, sed forma, inter se differant; omnesque, quod vnus agat, aut patiatur, idem simul agere, aut pati, censeantur: †

V. Fato et summa necessitate omnia fieri: ††

VI. Nec

60. sq. Quamuis pauca de Hattemistarum doctrina habeamus perspecta; nouimus tamen, nonnullos fide dignos consentire, peiores illis esse sectatorum HATTEMI sententias, quas ipse protulit.

* In *clench. veritat. theolog. clenchticae*, qui Groningae ann. CIↃIↃCCXL. prodiit.

** §. LXII. *** §. LXIX. **** §. LXXXIII.

† §. CIV. †† §. CXI.

VI. Nec hominem, sed Deum, esse peccati causſam et auctorem: *

VII. Nullum exiſtere peccatum; niſi ipſum cogitatum, quo quis mente ſua, peccatum esse, fingat: abſurdum enim esse, ſi nulla lex exſiſtit Diuina, cogitare, fieri posſe, vt illa violetur: **

VIII. Non esse inter tres Diuinae naturae ὑποστασεις verum diſcrimen: ſpiritum ſanctum esse motum illum naturalem, quo Deus feratur ad communicandum ſe ipſum cum creaturis: ***

IX. Chriſtum ideo veniſſe, vt erroneam hominum ſententiam, exſiſtere peccatum, tolleret, eoſque ab omni irae Diuinae metu liberaret. †

X. Hominem ita ſemper agere, vti Deus eum agere velit; hinc ſomnia esse, quaecumque de neceſſitate regenerationis et poenitentiae dicantur: hanc esse veram regenerationem, vt quis ſe nec ſubſiſtere; neque quidquam agere; ſed Deum et Chriſtum omnia in ipſo agere, credat: ††

XI. Nullam esse legem, niſi, quo quiſque mouetur, impetum; hancque euangelicae libertatis naturam, vt omni lege ſolutus ſit, qui ea fruatur: †††

XII. Hinc nec Deo posſe praeſtari cultum; niſi qui paſſiuus ſit: ††††

* §. CXXVI. ** §. CXXVII. *** §. CLXIII.
† §. CCXLII. †† §. CCLXIII. CCLXX. CCLXXI.
††† §. CCCXII. †††† §. CCCXXIV.

XIII. Preces ad Deum fundere, nemini licere; gratias tamen illi agere: *

XIV. Mortem et reditum ex ſtatu mortis tali abſolui hominis immutatione, vt mens in vniuerſalem cogitationem et corpus in vniuerſalem extenſionem tranſeat. **

§. VII.

Eadem SPINOZAE de Deo, vnica ſubſtantia, placita non dubitauit repetere CHRISTIANVS GABRIEL FISCHERVS, qui ex Regiomontana academia, vbi profeſſoris prouincia functus erat, electus, tandem eo redeundi nactus fuit facultatem, promiſitque, conſtanter puriorem doctrinam ſeruare. Nihilominus emiſit in lucem volumen: *vernynftige Gedanken von der Natur, was ſie ſey, daß ſie ohne Gott vnd ſeine allweiſe Beſchraenkung vnmaechtig ſey, vnd wie die einige vntheilbare Goettliche Kraft in vnd durch die Mittel-Vrſachen nach dem Maaſe ihrer verliehenen Wirkbarkeit oder Tychtigkeit hier in der Welt alles alleine thaetig wirke: Von einem Chriſtlichen Gottes-Freunde. 8 Maior.* CIↃIↃCCXLIII. vt eos, quos diximus, item de angelis, alioſque errores proferret.

§. VIII.

Nemo tamen maiore diligentia et maiori in ſacras res omnes furore ad defendendum pan-

thei-

* §. CCCXXVIII. ** §. CCCLXXI.

theismum accessit IOANNE CHRISTIANO EDELMANNO. * Lucem is primam vidit Leucopetrae ann. CIↃIↃCXCVIII. sacrisque litteris in academia Ienensi dedit operam. Deinde ingeniis moribusque nonnullorum illustris stirpis iuuenum praefectus, in Austria commoratus est. Redux in patriam idem officium partem in domo cuiusdam sacerdotis; partem in familia Callenbergii comitis, Dresdae administrauit, contraxitque amicitiae fedus cum illustriss. Zinzendorfio, Herrnhuthanae sectae auctore, breui tempore disruptum. Dein contulit se Francofurtum, vt eorum vteretur beneuolentia, qui se a sacrorum communione abstinent. Aliquot annos Berleburgi egit, postea Hachenburgi, Neowiedae, Brunsuici, Hamburgi, Altonauiae; tandem sedem fixit Berolini, vbi, quantum nouimus, vitam spiritumque ducit. Varia ingenium eius excluſit monimenta, quibus non solum grauissimos proposuit errores; sed etiam incredibili calumniandi libidine abreptus, in omnem religionem naturalem et reuelatam, huiusque praecones et amicos, inuectus est. Non aberrabi-

mus

* Quaecumque ad causſam EDELMANNI spectant, summe venerabilis IO. HENR. PRATIE in *den historischen Nachrichten von Edelmanns Leben, Schriften vnd Lehrbegriffe*, Hamb. ann. CIↃIↃCCLV. 8. tam adcurate complexus est tamque eleganter exposuit, vt eum solum ducem et sequi, et aliis commendare, nos oporteat.

mus ab instituti nostri ratione, si libellos Edelmannianos enarrauerimus. En illos:

I. *Vnschuldige Wahrheiten, Gespraechs-weise abgehandelt zwischen Doxophilo vnd Philalethe.* Opus quindecim continetur particulis, quarum prima ann. CIↃIↃCCXXXV. vltima a. CIↃIↃCCXLIII. iuris publici facta est:

II. *Bereitete Schlaege auf des Narren Rycken*, 8. opusculum breuissimum, nugamentis ROCKII et KREYSIGII, *inspiratorum*, vti dicunt, Berleburgensium obiectum:

III. *Moses mit aufgedecktem Angesichte*, CIↃIↃCCXXXXXI. 8. libellus inficetus, et in Diuinam auctoritatem librorum Mosaicorum admodum iniurius:

IV. *Christus et Belial*, CIↃIↃCCXLI. 8. libellus, ZINZENDORFIO comiti maximam partem oppositus; sed refertus horrendis calumniis, quibus sanctissima Christianorum doctrina et variae cultus Diuini partes petuntur:

V. *Die Goettlichkeit der Vernunft in einer kurzen Anweisung zur weitern Vntersuchung der -- Bedeutung des Worts λογος*, 8. CIↃIↃCCXLI. vel XLII. Hoc opusculo aperte, pantheismum sibi placere, prodidit:

VI. *Die Begierde nach der vernynftigen lautern Milch*, CIↃIↃCCXLIV. 8.

VII. *Abgenoethigtes Glaubensbekaenntniß*, CIↃIↃCCXLVI. 4. Confessio haec dici solet *maior*; quum antea pars illius, quae *minor* adpellatur,

in

in lucem esset emissa Francof. eod. ann. 8. Comprehensus est illa auctor sua de Deo sacraque scriptura et in illa tradita doctrina commenta.

VIII. *Das Euangelium S. Harenbergs*, anno CIↃIↃCCXLVII. 8.

IX. *Die erste Epistel St. Harenbergs an I. C. Edelmann*, ann. CIↃIↃCCXLVII. 8. vterque libellus ineptissimas exhibet sententias, vt ven. HARENBERGII docta confutetur; siue potius confutari videatur commentatio, EDELMANNO opposita:

X. *Danksagungs-Schreiben an den Herrn Probst Syssmilch, vor dessen, ihm vnwissend, erzeigte Dienste*, CIↃIↃCCXLVII. 8.

XI. *Vorzug eines Freygeistes vor einen armen Synder*, opusculum rarissimum, quod vix tria aut quatuor illius exempla ex flammis euaserunt, quibus cetera Sereniſſimus Marggrauius Schwedensis comburi iussit.

§. IX.

Quamuis ea, quae EDELMANNVS de rebus Diuinis tradere solet, talia sint, vt nemo illis serio accedere queat; nihilominus fuere quidam homines, qui erroribus eius capi se paterentur. Num tantus sit illorum numerus, quantum esse, nonnulli suspicantur, equidem nolo definire; certum tamen est, nonnullos tam audaces fuisse, vt scriptis publicis caussam doctrinae Edelmannianae susciperent agendam. Quo loco haberi oportet:

I. *In der Natur wohlgegryndete -- Antwort entgegengesetzt dem -- Verfasser derer neulich zu Frankfurt - - gedruckten 150 Fragen*, CIↃIↃCCXLIV. cui libello accessit eodem anno *Zugabe einiger Fragen vnd Antworten.* Auctor esse fertur VSINGIVS, qui Iudaicas superstitiones reliquerat.

II. *Freye; doch vnmasgebliche Gedanken veber die bisherigen Streitschriften wider den Hrn. Edelmann*, CIↃIↃCCXLVIII. 8. Libellus, a POTTIO, celebri artis salutaris doctore, conscriptus, pauca in Edelmanno reprehendit; cetera laudat et adprobat studiose.

III. *Pryfung der -- Widerlegung, welche C. I. Reinwolle wider die aergerlichen Schriften des berychtigten Edelmanns heraus gegeben.* Lipf. CIↃIↃCCXLVII. 8.

IV. *Sendschreiben eines -- Freygeistes an den Hrn--- Sack*, CIↃIↃCCXLVIII. 4.

V. *Sendschreiben eines guten Freundes an die ehrwyrdige Gesellschafft der Vertheidiger der praktischen Religion Iesu Christi.* Dubitari tamen potest, num hic scriptor EDELMANNI sectatoribus iure queat adnumerari.

§. X.

Non defuerunt, qui EDELMANNI libidinem, errores suos propagandi et contumeliis adficiendi libros Diuinos et Christianam doctrinam, coercere studerent. Francofurti ad Moenum d.

IX. maii ann. CIↃIↃCCL. iussu augusti imperatoris libelli eius flammis publice traditi sunt. Ex theologis multi laudabili exemplo confutandas sibi sumserunt prauas illius sententias et defendendam sacrorum Christianorum veritatem. Nimis longum foret, singulorum nomina enarrare; sufficit, eos, qui haec scire cupiunt, ad ven. PRATIENII commentarios, admiranda diligentia conscriptos, ablegare.

§. XI.

Idem vir celeberrimus pari diligentia ipsas EDELMANNI sententias, veritati contrarias, et in diuersis illius monimentis dissectas, in vnum locum congessit. Quas quidem quo minus repetamus, temperare nobis non possumus; vt quisque cognoscat, num vero sensu eum ad vilem SPINOZAE familiam abiiciendum esse, iudicauerimus. Dogmatum vero, quae amplexus est miser homo, duplex est genus. Alia explicant, quae ipse de Deo sentiat; alia, quae de placitis religionis reuelatae ipsi videantur. Prioris generis hae sunt illius opiniones:

I. Principia cognoscendae veritatis sunt ratio hominis, natura, et περισασεις rerum probabiles. Haec vbi deficiunt, praesidium repeti oportet ex sensatione interna. Ita enim res sunt, vti eas esse, sentio; perinde vti verum est sensuum externorum de rebus iudicium:

II. Deus exsistit. Eum enim exsistere, sentio, et percipio ex lumine naturae per rationem:

III. Deus

III. Deus est ipsa essentia rerum creatarum omnium. Ita esse, ipse sentio:

IV. Quicquid vere est in creaturis, omnes illarum perfectiones, vires, immo ipsa eorum exsistentia, est Deus:

V. Quicumque concedit, esse aliquid, ille concedit, esse Deum. E. non exsistit atheus:

VI. Competit Deo facultas intelligendi et volendi; quatenus ea vtraque est in creaturis. E. non exsistunt mysteria:

VII. Deus est ens vnum, viuum, immutabile, sapiens, benignum, omnipraesens, sanctum, semper actiuum et beatissimum:

VIII. Mundus est aeternus, quia Deus est aeternus:

IX. Tamen est creatus. Creatus vero fuit, quum Deus se ipsum et materiam, ipsi coaeternam moueret:

X. Creaturae sunt species; siue modificationes Dei. Idem de plantis et lapidibus recte adfirmatur. Hinc non inepte creaturas partes Dei et membra corporis eius dixeris:

XI. Anima humana praecipuo iure dicitur vis Dei et radius ex Deo:

XII. E. eadem est immortalis; hac tamen lege, vt soluta ex vnius corporis vinculis in alterum transeat, idque moueat:

XIII. Nulla exsistere miracula, partem ex immutabilitate Dei colligitur; partem ex eo, quod nulla nostra aetate edantur:

XIV.

XIV. Est tamen prouidentia, qua Deus essentiam rerum conseruat: animas cum nouis corporibus coniungit, et per magistratus leges fert, ac praemia et poenas distribuit:

XV. Homo in eodem statu perfectionis est constitutus, in quo creatus fuit:

XVI. Hinc nec reuelatione, nec vi supernaturali ad pie sancteque viuendum, eget:

XVII. Leges Diuinae positiuae non exsistunt:

XVIII. Lex vero est naturalis, cuius principium, ex aequalitate hominum deducendum, hoc est: *quod vis tibi fieri, alteri feceris; quod non vis, nec alteri feceris.* Huic accedunt leges magistratuum, quae omnino Diuinae sunt:

XIX. Obedientia erga leges hasce constituit religionem, hominesque facit iustos atque innocentes:

XX. Nec laedi potest Deus, nec ad iram prouocari; quia hominibus nullam dedit legem; sed ipse potius efficit, quaecumque illi agunt:

XXI. Nulla ergo exsistunt contra Deum peccata: nullae poenae diuinae; neque vlla opus est cum illo reconciliatione:

XXII. Actiones, quae conueniunt cum legibus naturalibus et ciuilibus, bonae sunt, dicunturque virtutes; quae illis aduersantur, et malae sunt, et vitia habentur:

XXIII. Praemia exsistunt actionum bonarum, et poena malarum, tam in hac, quam in futura vita:

XXIV. Praemia ſunt quaeuis bona, quae ex bonis actionibus ſua natura conſequuntur. His abſoluitur felicitas huius vitae, cuius varii ſunt gradus:

XXV. Poenae ſunt quaeuis mala, quae ex prauis actionibus vel ſua natura, vel ex arbitrio magiſtratus conſequuntur:

XXVI. Moritur homo, vbi ſoluitur vinculum, quo corpus cum anima cohaeret; reſurgit, vbi anima cum alio corpore denuo copulatur. Status intermedius, quo in illo temporis interuallo vtitur, eſt felix fortunatusque.

XXVII. Anima, cum alio corpore coniuncta, aut meliori, aut peiori priſtino, ſtatu fruitur. Ille exhibet praemia, hic poenas, poſt mortem;

XXVIII. Hinc Deus nullo modo eſt legislator, iudex, vltor; niſi per reges et principes; quorum hoc eſt officium, vt externam et publicam ciuium tranquillitatem, ſecuritatem, felicitatemque tueantur.

§. XII.

Ad *poſteriorem* claſſem referuntur criminationes, quibus Chriſtiana ſacra adfecit. De his vero ſic ſtatuit:

I. Religio Chriſtiana perinde et ceterae omnes, quae in hac rerum vniuerſitate coluntur, ſuperſtitio eſt:

II. Scriptura ſacra bonus liber eſt, quatenus veterum de Deo rebusque Diuinis ſententias exponit;

ponit; sed corruptus et deprauatus. Veteris testamenti libri ab Esra compositi; noui federis sub Constantino confícti. Neutri sunt θεόπνευστοι inspiratio enim diuina est ἀδύνατος. Contradicit scriptura sanae rationi, et sibi ipsi: fons est omnium errorum: neque a Christo pro Diuino habitus, cet.

III. Doctrina de Trinitatis mysterio ex fabulis Iudaicis et gentilibus est orta: post concilium Nicaenum inuenta. Neque vna; nec tres sunt personae Diuinitatis. omnis enim persona est corpus, in vno loco conclusum et finitum:

IV. Quae de creatione mundi ex nihilo narrantur, friuola sunt Iudaeorum commenta. Mundus enim est ab aeterno:

V. Doctrina de lapsu et peccato originis eiusque poena est falsa et erronea:

VI. Diabolus non exsistit. Doctrina de praeuis spiritibus a profanis hominibus ficta et lucri caussa conseruata:

VII. Simili modo nulli sunt angeli:

VIII. Iesus homo est tantum, naturali modo a Iosepho ex Maria susceptus: excellentibus donis a Deo instructus, vt doceret homines, nullum peccatum contra Deum ab illis committi. Pie vixit; sed ab hostibus ex hac vita est sublatus, qui metuebant, ne detrimentum fraudulentis eorum superstitionibus adferret illius doctrina. Cetera inania sunt, quae de Iesu circumferuntur:

IX. Quae de ordine ſalutis, operationibus et mediis gratiae dicuntur, fabuloſa ſunt:

X. Matrimonium contradicit honeſtati et caſtitati. Polygamia per ſe eſt licita:

XI. Interitus mundi fruſtra exſpectatur; fieri tamen poteſt, vt mutationes quasdam patiatur. Hinc falſa ſunt, quae de iudicio extremo, reditu corporum ad priſtinam vitam, aeterna vita et damnatione docentur.

§. XIII.

Eodem iure inter hoſtes religionis omnis et ſectatores pantheiſmi referri oportet, IVLIANVM OFFREY DE LA METTRIE, Gallum, qui poſt varios caſus magnaque rerum diſcrimina Berolinum ſe contulit, regiaeque litterarum colendarum ſocietati adſcriptus, ibi anno huius ſeculi LI. vitae finem fecit. Varia edidit ingenii ſpecimina, quibus prauiſſimas de ſupremo numine atque ipſa hominum natura ſententias prodidit; ſed mire diſiectas et perturbatas, ita, vt periti viri, non poſſe fieri, iudicauerint, vt, quo modo inuicem cohaereant, et num ad *συστήματος* formam redigi queant, definiatur. Quare ſatis erit, quos ab illo nouimus eſſe conſcriptos, breuiter enarrare, libellos:

I. Primum in lucem emiſit: *Hiſtoire naturelle de l'ame, traduite de l'Anglois de Mr. Charp*, tecto nomine Hag. Com. ann. CIↃIↃCCXLV. 8. et denuo edidit, addita *epiſtola critica* ad illuſtrem

feminam, *de Chatelet*, Oxon. a. CIↃIↃCCXLVII. 8. Quamuis ea, quae hic tradidit, religioni reuelatae non oppoſita eſſe videantur; abſonae tamen exhibentur ſententiae, quae ad ſummam impietatem viam muniunt. Vt omnia breuibus complectamur verbis, animam nec ſimplicem, nec immortalem eſſe, auſus eſt, contendere.

II. *L'Homme machine*, Lugduni Bat. CIↃIↃCCXLVIII. Quamuis exiguae molis ſit opuſculum; omnium tamen iudicio inter cetera impia ſcripta, quae edidit noſter, principem locum obtinet. Hinc recitare libet nonnullas θέσεις, in illo traditas. De anima docere, medicis relinquendum eſt, qui experientia vtuntur magiſtra, non theologis: homo eſt machina: animi indoles et effectus dependent a corpore: lex nulla alia eſt naturae, quam haec, vt facias, quae velis, et fugias, quae nolis: Deum eſſe, non niſi probabili ratione conſtat: nulla eſt cauſſa, cur exiſtant homines: *vnica* eſt in hoc mundo *ſubſtantia*: religione nulla eſt opus: cet.

III. *L'Homme plante*, Potsdami, 12. Duplex eſt machinarum genus, quod inter ſe ſtudet comparare, et comprobare, nihil diſcriminis inter hominem et plantam intercedere.

IV. *Epitre a mon eſprit, ou l'anonyme perſiflé*, 12. Reſponſa contineri voluit hoc libello ad *epiſtolam anonymi*, qua fabula *hominis machinae* confutatur, *nouis litterariis Goettingenſibus* ann. CIↃIↃCCXLVIII. num. 52. et 54. inſertam,

et gallice poſtea conuerſam; ſed verba fumumque dedit:

V. *Traité de la vie heureuſe par Seneque. Avec un diſcours du traducteur ſur le meme ſujet*, Potsdami ann. CIↃIↃCCXLVIII. 12. Praefatione illa partem, nullam poſt hanc vitam exſpectari poſſe felicitatem, contendit; partem, rei venereae vſu omnem abſolui ſummam voluptatem, quae in homines cadat.

VI. *Oeuvres philoſophiques*, Londini anno CIↃIↃCCXLIX. 4. Praeter ea, quae num. I. II. III. notauimus, collectio haec bina exhibet ſcripta, antea non edita. Alterius haec eſt inſcriptio: *les animaux plus que machines*, qua, puerorum more, viros doctiſſimos, qui ei contradixerunt, laceſſit conuiciis. Alteri praefixit titulum: *ſyſteme d'Epicure*, quo eamdem cramben denuo vides coqui. Impia quoque eſt praefatio, totumque opus dignum fuit, vt eius vſu publica auctoritate interdiceretur.

§. XIV.

Ex quo *homo machina* lucem viderat, nonnulli ex doctiſſimis viris figmenta haec impia confutare, ſibi ſumſerunt. ELIAS LVZACVS ſcripſit breuem libellum *l'homme plus que machine*: ADAM. GVIL. FRANZEN *Widerlegung der Schrift* l'homme machine: BALTH. LVDOVIC. TRALLES *comment. de machina et anima humana, prorſus a ſe inuicem diſtinctis*:

CA-

CAROL. CHRIST. KRAVSIVS *diss. de homine non machina*: vt de aliis taceamus.

§. XV.

Non potest fieri, vt comitem DE BOVLAINVILLERS prorsus silentio transmittamus. Quum Christiana sacra acerbo prosequeretur odio, grauissimum illis periculum inferre conatus est, edita Amstelod. ann. CIↃIↃCCXXXI. 8. *vita Muhamedis*, posthaec pessimo consilio Germanice conuersa, Lemgou. a. CIↃIↃCCXLVII. 8. Eum vere a SPINOZAE partibus stetisse, testatur eius libellus, quem, hoc titulo, vt fallerentur imprudentes, praefixo: *refutation des erreurs de Benoit de Spinosa*, cum aliis, ad Spinozisticam historiam spectantibus, opusculis, ex tenebris, quibus omnino dignus fuit, eruit LENGLETVS DV FRESNOY, * Bruxell. a. CIↃIↃCCXXXI. 12.

SECTIO SECVNDA

DE CONTROVERSIIS CVM HOSTIBVS RELIGIONIS REVELATAE.

§. I.

Longe maior eorum numerus fuit, qui, licet nec, Deum esse, nec, religionis vinculis homi-

* Vid. WOLFII *bibliothec. chr.* vol. IV. pag. 796. et BAVMGARTENII *Nachricht. von einer hallisch. Biblioth.* vol. I. p. 132. sqq.

nem Illi obstrictos esse, negare viderentur, immani tamen se furore capi passi sunt ad bellum sacris Christianis inferendum. Omni igitur opera laborarunt, vt Diuinam scripturam sacram infringerent; siue negarent, fieri posse, vt, quae naturali ingenii humani virtute perspici nequit, futurae salutis via, Diuina ope innotescceret; siue de sacri codicis, quem gloriamur Diuinitus nobis esse datum, origine et praestantia detrahere, auderent. Quamuis ipsi de naturali religione, quam sedulo commendant, inuicem nequaquam consentiant; conspirant tamen de exstirpando, si fieri posset, vel nomine reuelatae religionis. Non dubitamus ergo, omnes, qui alioquin *deistarum*, *naturalistarum*, *rationalistarum*, *antiscripturariorum* nominibus modo coniunctim significari, modo discerni solent, vna voce hostium religionis reuelatae complecti. Lubet ab Anglis ducere initium et deinde ad alias gentes progredi.

§. II.

Equidem non opus est, longius in causas inquirere, cur nostra aetate libido illa, contra reuelationem Diuinam pugnandi, tot animos in Anglia impleuerit. Qui illam ex gentis illius indole et studiis repetunt, non omni ex parte a veritate aberrant; magis tamen ad illam accedunt, qui cum his libertatem coniungunt, qua fruuntur Britanni, mentis suae cogitata publice proferendi. Haec enim si in aliis prouinciis aeque late

late pateret, vereor, ne aeque magna sit similium hostium veritatis copia. Addi oportet et exempla illorum, qui superiori aetate eadem consilia et reperunt et exsequuti sunt. Quo pertinent HOBBESII, BLOVNTII, HERBERTI A CHERBVRY aliorumque nomina, de quibus, quod nimis longe a nostro aeuo abfuere, perinde ac TOLANDO, cuius iam mentionem fecimus, consulto hoc loco tacemus. *

Temporis ordinem vt seruemus, primo loco nominamus ANTONIVM ASHLEY COOPERVM, comitem de SHAFTESBVRY. Ex illustri et clarissimorum virorum imaginibus nobilitata familia ortus, Londini ann. CIↃIↃCLXXI. lucem vidit; litterarumque studiis, elegantioribus maxime, tantam dedit operam, vt nefas sit, eruditionis laudem ipsi denegare. Vitam finiuit Neapoli anno CIↃIↃCCXIII. Varia exarauit opuscula, quae ipse collegit et communi inscriptione: *characteristicks of men, manners, opinions,*

* Praeclara imprimis sunt, quae hac de re commentatus est ven. GEORG. GVIL. ALBERTI in *Germanicis epistolis de praesenti statu relig. et litterarum in magna Britann.* epist. XXVI. sqq. p. 405. sqq. Adiungi ei oportet cel. IO. TOLANDVM, cuius elegans exstat opus: *a view of the principal deistical writers*, Londini ann. CIↃIↃCCLIV. sq. binis voluminibus editum et Germanice conuersum. Vtriusque opera nostram diligentiam maximopere esse subleuatam, lubentes profitemur.

and times ornata, anno CIↃIↃCCX. binis voluminibus, forma tertia, in lucem emisit. Eadem, nonnullis additamentis instructa, Lond. ann. CIↃIↃCCXXXIII. tribus comprehensa voluminibus prodierunt. Quamuis multa in his praeclare, et sublimi dicendi genere, sint expressa; nec tamen negari potest, quam plurima exstare in his peruersi studii documenta, quo auctor aduersus reuelatam religionem agi se passus est. Inprimis huc spectat, quod irrisionem optimum veritatis cognoscendae principium esse, statuit. * Idem principium ad id adhibuit, vt, sanctissimis doctrinae Christianae religionis capitibus multa inesse, quae sannis digna sint, impie ostenderet. Praeterea doctrinam de futuris animae post mortem praemiis et suppliciis acriter infectatus est; eamque ad commendanda virtutis studia nullum momentum habere, sed iisdem potius adferre pericula, sibi persuasit. Omnem, quae scripturae sacrae tribui possit, auctoritatem non nisi ex lege magistratuum, qui Diuinam eam haberi cupiunt, oriri, HOBBESIVM sequutus, aperte docuit. Diuum Paullum scepticismi adcusauit: narrationes de Christo ab hominibus sacri ordi-

-nis,

* *εἰρηνικὸν* hoc, quo num quid magis ridiculum sit, alii videant, sedulo exposuit in opusculo: *essay on the freedom of wit and humour*, quod primum prodiit ann. CIↃIↃCCIX. et vol. I. *characteristicorum* p. 57. repetitum fuit.

nis, vt ſuis commodis rectius conſulerent, fictas eſſe, criminatus eſt. Neque ab homine, veritatis cupido, probari poſſe, credimus, ſumma elogia, quibus Iulianum apoſtatam ita extulit, vt manifeſto hiſtoriarum monimentis, quibus eius memoria continetur, vim inferret. Data opera ei ſe oppoſuerunt IOANNES BALGIVS in *letter to a deiſt*, Londini CIↃIↃCCXXIX. 8. et IOANN. BROWNIVS, cuius exſtant: *eſſays on the characteriſticks*, Londini anno CIↃIↃCCL. *

§. IV.

Maiorem nominis famam conſequutus eſſe videtur ANTON. COLLINS, ita vt fere princeps haberi ſoleat eorum, qui cogitandi libertate in Anglia abuſi ſunt. Lucem vidit Heſtoni d. XXI. Iun. an. CIↃIↃCLXXVI. patre vſus Henrico. Litteris operam tum in ſchola Etonienſi (Eaton) tum in Cantabrigienſi muſarum ſede nauauit, coluitque praeceptorem Franciſc. Hare, clariſſimum virum, poſtea ad Cheſtrienſis epiſcopi munus admotum. At demonſtrauit poſtea, non Harii diſciplinam, ſed Tolandi potius, ei placuiſſe. Quamuis iuris ſcientiam Londini addiſcere ceperit; breui tamen tempore poſt ab his ſtudiis animum auocauit. Anno CIↃIↃCXCVIII. duxit

* Vid. LELANDI *view of the deiſtical writings epiſt.* v. et ven. BAVMGARTENII *Nachrichten von merkwyrd. Byckern* vol. VII. p. 331. ſqq.

duxit vxorem, splendido genere ortam, vitamque Londini egit priuatam. Controuersiae theologorum, quae eo tempore in Anglia agitabantur, opportunam nostro praebuerunt occasionem, nonnulla ingenii monimenta componendi, aliisque sacri ordinis viros acrius perstringendi. Anno CIↃIↃCCXI. iter in Belgium suscepit; sed breui in Angliam rediit, et exposuit luci *commentationem de cogitandi libertate*, quae tantas excitauit turbas, vt consultum iudicaret, denuo se ann. CIↃIↃCCXI. federatum in Belgium recipere. Discessit quoque in Flandriam; in Galliam et Italiam profecturus, nisi domestici casus eum coegissent, ann. CIↃIↃCCXIII. in Angliam reuerti. Ann. CIↃIↃCCXV. iudicis publici in comitatu Essexiensi (*Justice of the peace*) munus ei creditum fuit, quod per tres annos bene administrauit. Ann. CIↃIↃCCXVIII. thesaurarii prouinciam ibidem suscepit. Post aliquot annos eandem deposuit et otio frui cepit; siue potius illud nouis scriptis contra doctrinam Christianam eiusque vindices exarandis perdere. Vitam finiuit d. XIII. Dec. ann. CIↃIↃCCXXIX. *

§. V.

* Vitam COLLINSII, copiose descriptam tum in Anglicana versione *dictionarii Baeliani* tom. IV. p. 395. tum in splendidissimo *biographiae Britannicae* opere tom. II. p. 1413. sqq. Germanice conuersam dedit ven. BAVMGARTENIVS vol. III. *commentarior. Niceronii* p. 433. sqq. Exstat quoque cl. VRBANI GOTTLOB THORSCHMIDII *critische*

§. V.

Varia sunt COLLINSII monimenta, quae ad hunc locum spectant. De his ita differere libet, vt erroneas simul recensеamus opiniones, quas in singulis prodidit. Primum, quod nouimus ab illo conscriptum, erat breuis libellus ita inscriptus: *An essay, concerning the vse of reason in propositions, the euidence whereof depends upon humane testimony*, Lond. CIↃIↃCCVII. Nonnulla exhibet bene dicta; plura doctrinae de Trinitate opposita. Pugnat maxime contra FRANC. GASTRELLVM eiusque librum: *some considerations concerning the Trinity.* Quem quum denuo curaret auctor typis describendum, ad dubia COLLINSII respondit. Deinde COLLINSIVS in lucem Londini ann. CIↃIↃCCIX. emisit, ann. CIↃIↃCCCX. 8. denuo typorum formis descriptum, libellum exiguae molis parisque momenti; cuius hanc voluit esse inscriptionem: *priestcraft in perfection*; siue *fraus sacerdotum perfecta.* Quale libelli sit argumentum, facile patet. In XXXIX. *articulis fidei ecclesiae Anglicanae*, vigesimo haec addita est clausula: *the church hath power, to decree rites and ceremonies, and authority in controversys of faith*, hoc est, *ecclesia habet*

sche Lebensgeschichte Anton Collins, des ersten Freydenkers in Engelland; Dresd. a. CIↃIↃCCLV. 8. Eleganter conscriptum est opusculum, cuius partes, quae nondum lucem viderunt, auide exspectamus.

bet potestatem decernendi ritus et ceremonias, et auctoritatem controuersiarum de rebus fidei dicidendarum. Hanc vero fraude et astutia quorundam theologorum insertam formulae esse; neque in antiquioribus illius exemplis inueniri, multa opera comprobare studet. Quamuis ipsa quaestio ita sit comparata, vt ab eius discussione puriori doctrinae nihil periculi metuendum esse videatur; ipsa tamen tractandi ratio, quam auctor obseruauit, abunde testatur, hoc fuisse illius consilium, vt vniuersi ordinis sanctioris fidem redderet suspectam, sibique ipse muniret viam, ceteras quoque doctrinae Christianae partes sensim vocandi in dubitationem. *

§. VI.

Nihilominus leuissimi momenti est iste fetus, quem ingenium COLLINSII exclusit, si comparatur cum libro de libertate cogitandi. Prodiit Anglice Londini ann. CIↃIↃCCXIII. 8. hunc prae se ferens titulum: *a discourse of Free-thinking, occasion'd by the rise and growth of a sect call'd Free-thinkers.* Insequente anno Gallice ab ipso auctore conuersus, auctusque *epistola medici Arabis ad celebrem professorem Halensem,* ** *de criminibus, obiectis Muhamedi, propagatae religionis*

* Vid. ven. patris *Einleitung in die R. Str. ausser der E. L. K.* vol. III. p. 841.

** Id est, Christian. Thomasium.

ligionis per arma, polygamiae, concubinatus, et doctrinae falsae de paradiso, Londini (siue potius Hagae comitum) litteris fuit expressus. Hoc libro potissimum consequutus est, vt communis deistarum praeceptor habeatur. Etenim in eo posuit operam, vt libertatis nomine abusus, veram cogitandi introduceret licentiam. Et sanae rationi, et ipsi scripturae sacrae contradicere, putat, quod non omnibus permittatur, prout libet, de rebus Diuinis philosophari: melius omnem cogitandi libertatem a pontificiis tolli; quam eamdem ab euangelicis, iustis modis, circumscribi: non solum Christi ac scriptorum legatorumque Diuinorum, sed etiam omnium, qui Christiani sunt doctores, exemplis idem confirmari, quum de omnibus doctrinis inuicem dissentiant: nullum esse vniuersae doctrinae Christianae caput, quod non vocatum fuerit in controuersiam: vt eripiatur hominibus libertas cogitandi, fictam esse a fraudatoribus de Diuina scripturae sacrae origine opinionem; neque vllam codicis Diuini esse certitudinem ob innumeras lectionum discrepantias, et vim manifestam, illi ab Anastasio imp. illatam: nullam postulasse Christum fidem, nisi quae ex perspectis rei argumentis producatur: vaticinandi facultatem Diuinis prophetis musica arte et haustis poculis obtigisse: praestare doctrinam moralem Epicuri Christiana, quod illa sedulo commendat amicitiam, ab hac penitus neglectam, vt de falsis cri-

mina-

minationibus ſileamus, quibus nonnullos librorum Diuinorum ſcriptores petiit.

§. VII.

Non potuit fieri, quin viri grauiſſimi arma ſumerent ad repellendum Chriſtianae rei hoſtem, eo minus contemnendum, quo maiorem prae ſe fert eruditionis ſpeciem. Ex illis nominandi ſunt:

BENIAM. HOADLEY, qui noſtra aetate epiſcopi Vintonienſis locum tenet. Breui tempore poſt, quam Anglicana libelli *Collinſiani* editio prodiit, in lucem publicam exire iuſſit: *Queries, addreſſed to the author of a late diſcourſe of Free-thinking.*

RICHARD. BENTLEIVS, criticae artis laude florentiſſimus, qui certam de COLLINSIO reportauit victoriam, edito libro maximae exiſtimationis, cui adſcito nomine *Phileleutheri Lipſienſis* hunc praefixit titulum: *Remarks upon a late diſcourſe of Free-thinking*, binis voluminibus Londini ann. CIↃIↃCCXIII. 8. et deinceps ſaepius recuſo. Praeſtare ipſis Anglicanis editionibus dicitur interpretatio Gallica, quae noua inſcriptione: *la fripponnerie laique des pretendus eſprits-forts d'Angleterre*, doctaque praefatione et obſeruationibus ornata Amſtelod. anno CIↃIↃCCXXXVIII. 8. lucem vidit. Iisdem decoribus, quibus noua addita, Germanica conſpicua eſt, quam ven. FRID. EBERH. RAMBACHIO

CHIO acceptam ferimus. Hal. anno CIↃIↃCC-XLV. 8.

FRANCISCVS HARE, qui, quum dedicasset illi commentationem suam BENTLEIVS, eleganti epistola huic gratias egit, ac praeclara studia publice praedicauit, quae amicus eius in confutandis COLLINSII nugis posuerat. Ita vero inscripta est: *the Clergyman's thanks to Phileleutherus*, ann. CIↃIↃCCXIIII.

IOANN. FRANCISCVS BVDDEVS, cuius *commentatio de libertate cogitandi*, Ien. CIↃIↃCCXV. breuiter omnia complectitur et conuellit, que COLLINSIVS de eodem argumento perperam dixerat.

IO. PETRI DE CROVSAZ *examen du traité de la liberté de penser*, Amstelodami CIↃIↃCCXVIII. 8. editum, quod his adiungatur, non indignum est. Hos autem, quorum libelli exigui momenti sunt, silentio praetermittimus. *

§. VIII.

Confirmauit vero COLLINSIVS suo exemplo, homines huius generis difficillime ab erroribus liberari. Quamuis enim per longum spatium

* Vid. BVDDEVM de *atheism.* p. 144. edit. BVVRTII: FABRICIVM *syllab. scriptor. de V. R. C.* p. 488. ven. BAVMGARTENII *Nachr. von einer Hacllisch. Bibl.* vol. II. p. 133. seqq. et ven. patrem in *der Einleitung in die R. Str. ausser der E. L. K.* vol. V. p. 33. sqq.

tium animum ſuum a ſcribendo auocauerit; conſtans tamen fuit in retinendis, quas ſemel ſuſceperat, prauis ſententiis. Ita eſſe, teſtatur ingenii monimentum, ab ipſo conſcriptum et Londini ann. CIↃIↃCCXXIV. 8. editum. Cuius haec eſt inſcriptio: *a Diſcourſe of the Grounds and Reaſons of the Chriſtian religion, in two parts: the firſt containing ſome conſiderations on the quotations, made from the old in the new Teſtament, and particularly on the prophecies cited from the former and ſaid to be fulfill'd in the letter. The ſecond containing an examination of the ſcheme advanc'd by Mr. Whiſton in his eſſay towards reſtoring of the true text of the old Teſtament. To which is prefix'd an apology for free debate and liberty of writing.* Ipſe quidem COLLINSIVS nomen ſuum oppreſſit; ſed certiſſimis documentis conſtat, eum hoc potiſſimum conſilio librum compoſuiſſe, vt vlciſceretur iniurias, quas a WHISTONO * ſibi ſuoque de cogitandi libertate libello illatas fuiſſe, querebatur. Ea vero, quae COLLINSIVS exponit, ad id comparata ſunt, vt veritatem religionis Chriſtianae vnico argumento, quod ex vaticiniis veteris teſtamenti, tempore noui federis euentu confirmatis, repeti ſolet, minus recte comprobari poſſe, confirmet; hinc-

que,

* WHISTONVS enim ſcripſerat: *reflections on the Diſcourſe of Free-Thinking*, libellum, laudatum a ven. BAVMGARTENIO loc. cit. p. 355.

que, quia nulla exſtare, putat, oracula, proprio ſenſu de Ieſu Nazareno praedicta (ſiquidem nonniſi ad illum transferantur et adcommodentur, quae ex mente auctorum aliam habere debeant ſententiam) concludat, plane nullum eſſe Chriſtianae religionis fundamentum, ideoque illam falſam fictamque. Quanti errores, quamue impiae tum de prophetis, tum de apoſtolis ſententiae hoc vno ratiocinio contineantur, quum quisque intelligit; neminem, ſperamus, futurum eſſe, qui dubitet, librum inter illos recte numerari, qui grauiſſimum periculum rei Chriſtianae adferunt. *

§. IX.

Haec cauſa fuit, cur quamplurimi ad eum confutandum inducerent animum. Quum illorum ingens ſit numerus, ex multis paucos nominare, ſatis erit, qui ceteris praeſtare putantur. Quo ſpectant:

EDVARD. CHANDLERVS, epiſcopus, cuius *defence of chriſtianity from the prophecies of the old Teſtament; wherein are conſider'd all the obiections againſt this kind of proof, advanc'd in a late Diſcourſe of the Gr. and R. of the Ch. R;* Lond. ann. CIↃIↃCCXXV. 8. inter optimos huius argumenti libros locum obtinet. Verſio eius exſtat Germanica, a ven. RAMBACHIO

* Vid. BAVMGARTENIVM loco citato.

Kidderiano operi, quo *Iesum Messiam esse*, demonstratur, itidem Germanice conuersо, Rost. ann. CIↃIↃCCLI. 4. adiecta.

SAM. CHANDLERVS, theologus Presbyterianus clarissimus, cui debemus: *a vindication of the Christian Religion*, Lond. a. CIↃIↃCCXXV. 8.

IOANNES GREEN, qui edidit: *letters to the author of the Discourse of the Gr. and R. of the C R. shewing that Christianity is supported by faits well attested*, cet. Lond. ann. CIↃIↃCCXXVI. 8. Inter alia inprimis vaticinium Iesaiae de virginis partu a prauis interpretationibus vindicat.

ARTH. ASHL. SYKES, qui COLLINSIO oppositit: *essay upon the thruth of the Ch. R. wherein its real foundation in the old Testament is shewn*; Lond. CIↃIↃCCXXV. 8.

THOM. SHERLOCKIVS, qui nostra aetate Londinensibus sacris praeest. Vtilissimus et in varias linguas conuersus est eius liber: *the use and intent of prophecy in the several ages of the church*, Lond. a. CIↃIↃCCXXV. Noua eaque praestantior editio a. CIↃIↃCCXLIX. lucem vidit, ea de caussa memorabilis, quod CONYERMIDDLETONO occasionem praebuit, ad certamen SHERLOCKIVM prouocandi. *

THOM. IEFFREY, auctor commentationis: *a review of the controversy between the author*

* Vid. cl. ALBERTI *Briefe* p. 552. sqq.

thor of the Diſcourſe of the Gr. etc. and his adverſaries; Lond. ann. CIↃIↃCCXXVI. 8.

MOSES LOWMANNVS, vir egregie doctus in libello: *the argument from prophecy in proof, that Ieſus is the meſſiah, vindicated*; Lond. ann. CIↃIↃCCXXXIII.

GVIL. WHISTONVS, quem eo minus ſilere fas eſt, quod ei potiſſimum COLLINSIVS ſuos commentarios obiecit. Aduerſario reſponſa dedit in *the letteral accomplishment of ſcripture-prophecies, being a full anſwer to a late Diſcourſe of Gr.* cet. Lond. ann. CIↃIↃCCXXIV. 8. addiditque: *a ſupplement to the litteral accomplishment of ſcripture-prophecies*, a. CIↃIↃCCXXV. 8. Alius praeterea WHISTONI libellus huc ſpectat, cuius haec eſt inſcriptio: *a liſt of ſuppoſitions or aſſertions in the late diſcourſe of the Gr.* cet. *which are not therein ſupported by any real or authentick euidence*; Londini anno CIↃIↃCCXXIV. 8. *

§. X.

Tot tantisque aduerſariis vt reſponderet, nouum conſcripſit librum COLLINSIVS eademque temeritate Chriſtiana ſacra impugnauit. Prodiit enim binis voluminibus: *the ſcheme of litte-*

* Qui plura noſcere cupit ſcripta, COLLINSIO obiecta, adeat ipſius *praefationem* vol. I. libri: *ſcheme of litteral prophecy*, p. 10. ſqq. vbi XXXV. enumerauit.

ral prophecy considered in a view of the controversy, occasion'd by a late book, intitled: a discourse of the Grounds and Reason of the Ch. R. Lond. ann. CIↃIↃCCXXVI. 8. Versatur potissimum in tractando argumento de vaticiniis, multamque in eo collocat operam, vt exspectatum a Iudaeis ante Christum natum Messiam fuisse, idemque ad notitiam hominum profanorum peruenisse, neget, et clarissima oracula, quae de Messia edita fuisse, CHANDLERVS episcopus demonstrauerat, longe alias res praedicere, comprobet. Plurima hanc ob caussam congessit, quae auctoritati totius scripturae sacrae vim inferunt et Christianae religioni sunt iniuria. *

§. XI.

Reprimendam hanc audaciam veritatemque defendendam susceperunt:

EDVARD. CHANDLERVS, episcopus, qui eadem eruditione, qua antea vaticiniorum causssam egit, eamdem a nouis COLLINSII criminationibus vindicauit, in: *a vindication of the defence of Christianity from the prophecies of old Testament, in answer tothe scheme of litteral prophecy consider'd.* Lond. anno CIↃIↃCCXXVIII. 2. vol. 8. Addidit epistolam de religione Macrobii eiusque de infanticidio Bethlehemitico narratione,

* Vid. ven. BAVMGARTENIVM loc. cit. p. 441. sqq.

tione; ac de ecloga IV. Virgilii, qua ipſe de Meſſia cani, ſtatuit: . . . . . .

ARTH. ASHL. SYKES, qui, omiſſo nomine, ſcripſiſſe fertur: *the true Grounds of the exſpectation of the meſſiah*, Lond. ann. CIↃIↃCC-XXVII. 8.

SAM. CHANDLERVS, cuius exſtat: *vindication of the antiquity and authority of Daniels prophecies, and their application to Ieſus Chriſt*; Lond. ann. CIↃIↃCCXXVIII. Quibus addi poſſunt ROGERII *ſermons on the neceſſity of Diuine reuelation*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXVIII. 8. et BVLLOCKII *reaſoning of Chriſt and his apoſtles vindicated*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXVIII. 8.

§. XII.

Eodem tempore deiſmum amplexus eſt et nonnullis libellis latius propagare ſtuduit GVIL. LYONS. Inter illos facile eminet opuſculum, cui hic praeſcriptus eſt titulus: *the infallibility of human iudgment, its dignity and excellency*, cet. primum ann. CIↃIↃCCXIII. editum ſaepiusque repetitum. Nihil tamquam verum certumque admitti poſſe, praecipue docet, quod ita eſſe, ratione humana nequeat cognoſci; hincque concludit, nec eſſe poſſe Diuinam reuelationem; niſi certiſſima exſiſtant rei demonſtrandae argumenta. Diuerſarum de rebus Diuinis ſententiarum communes origines ex fraudibus ſacerdotum eſſe deducendas; neque vnquam futurum,

vt illae componantur; nisi iudicis auctoritas rationi humanae relinquatur. Animas in homine inesse, materiae expertes, concedit; easdemque in brutis esse, contendit: agere animam resque percipere, sine sensibus: quaeuis hinc posse eam cognoscere, quae ad religionem referuntur, fictaque illorum additamenta reiicere: Spiritum Sanctum ab ipsa ratione nihil differre: qui peccet contra hanc, recte dici peccare contra illum: omnes ergo, qui rationem sequuntur ducem, post hanc vitam futuros esse felices: ipsam virtutem oriri ex sapientia, siue recto intellectus vsu: ne nomen quidem fidei recte inter homines tolerari. Omnia haec, quae de praestantia intellectus humani differit, ad id adhibet, vt exemplo sanctissimae de Trinitate doctrinae, et nugarum de transsubstantiatione, confirmet, a sapiente viro nullum admitti mysterium. *

§. XIII.

Quamuis eruditionis laude longe inferior his hostibus doctrinae Christianae, omnes tamen calumniandi et obtrectandi licentia superauit THOMAS WOOLSTONVS. Lucem vidit ann. CIↃIↃCLXIX. et in academia Cantabrigiensi et philosophorum et theologorum disciplinis instructus atque vtriusque ordinis honores consequu-

tus

* Vid. BAVMGARTENII *Nachricht von einer Haellisch. Biblioth.* vol. VII. p. 64. sqq.

tus est. Collegio Sidneiano adscriptus, vitam ibi egit, donec ex illo ann. CIↃIↃCCXXI. ob prauas sententias proscriberetur. Mortalitatem finiuit Londini d. VII. Iun. ann. CIↃIↃCCXXXIII. Incredibilis fuit furor, quo in codicem Diuinum eaque, quae in illo et narrantur et docentur, misere ferebatur; ita vt multi insanum hominem mentis non compotem esse, suspicarentur. Neque eos a veritate longe remotos esse, satis certum est; nihilominus negari non potest, voluntatem eius aeque deprauatam fuisse, atque intellectum. *

§. XIV.

Coniunctim enumerare liceat, que WOOLSTONVS reliquit, ingenii monimenta. In his primo loco nominari decet:

I. *Sex commentationes de miraculis Christi. Prima* prodiit Londini ann. CIↃIↃCCXXVII. 8. recusa postea, sub hoc titulo: *a discourse on the miracles of our Saviour in view of the present controuersy between infidels and apostates*, et praeter ea, quae generatim de miraculis Christi effutiuit, nominatim expulsionem mercatorum ex templo: glorificationis historiam: aquae in vinum transmutationem: sanationem paralytici, persequitur.

* Legatur HENR. CHRISTIANI LEMKERI *historische Nachricht von Thom. Woolstons Schicksal, Schriften und Streitigkeiten*, ann. CIↃIↃCCXL. 8.

Secunda, quae eodem anno prodiit, agit de muliere, haemorrhagia laborante: de muliere, octodecim annis aegrotante, a Christo sanata, Luc. XIII, 11. et de colloquio, cum Samaritana habito. *Tertia*, luci publicae ann. CIↃIↃCCXXVIII. exposita, versatur in narratione euangelica de ficu maledicta; et de reddita aegroto Bethesdae pristina valetudine. *Quarta*, a. CIↃIↃCCXXVIII. edita, exponit, de oculorum vsu, caeco *Ioann.* IX. restituto: denuo de transmutatione aquae in vinum, ac de paralytico, *Matth.* IX. commemorato: *quinta* ann. CIↃIↃCCXXIX. de suscitatione mortuorum, Lazari, filiae Iairi et adolescentis Nainitici; *sexta* denique eodem anno emissa de reditu Christi ad vitam. His addimus:

II. *Binas apologias*, aduersariis suis a WOOLSTONO oppositas. Prior ita inscripta est: *defence of his discourses on the miracles of our Saviour*, et Lond. ann. CIↃIↃCCXXIX. 8, posterior ibid. ann. CIↃIↃCCXXX. 8, typis fuit descripta. Haec scripta licet praecipue controuersiam *Woolstonianam* excitauerint; alii tamen superstunt libelli, ab ipso conscripti, qui a nobis nequeunt silentio praetermitti. Huius generis sunt:

III. *The old apology for the truth of the Christian religion, against the Iews and Gentiles, revived*, cet. Londini anno CIↃIↃCCV. 8.

IV. *Quatuor opuscula*, quae communi nomine: *a free-gift to the clergy* insignita sunt, Londini ann. CIↃIↃCCXXII. XXIII. et XXIV. 8.

V. *The*

V. *The miniſtry of the letter, vinticated from the charge of Antichriſtianiſm. Or an Anſwer to Mr. Woolſton's four Free-Gifts to the Clergy and challenges on this Queſtion*, Londini ann. CIↃ-IↃCCXXIV. 8. Ipſe WOOLSTONVS ad quatuor opuſcula reſpondet clericosque acriter perſtringit:

VI. *Diſſertatio de Pontii Pilati ad Tiberium epiſtola circa res Ieſu Chriſti geſtas, per myſtagogum*; Lond. a. CIↃIↃCCXX. 8. Quamuis WOOLSTONI nomen haud ſit expreſſum; eum tamen libelli eſſe ſcriptorem, neminem fugit:

VII. *The exact fitneſs of the time, in which Chriſt was manifeſted in the fleſh, demonſtrated by reaſon*; Londini ann. CIↃIↃCCXXII. 8.

VIII. *A defence of the miracle of the thundering Legion.* Londini CIↃIↃCCXXVI. 8. Oppoſitum eſt opuſculum celebrato libello WALT. MOYLII, a beato MOSHEMIO latinitate donato; ſed copioſe confutatum a ven. SIGISM. IAC. BAVMGARTENIO.

IX. *Binae epiſtolae* ad BENNETVM, theologum Anglicanum, quas WOOLSTONVS, ARISTOBVLI nomine vſus, Anglice ſcripſit. Prior Londini anno CIↃIↃCCXX. 8. expreſſa, tractat hanc quaeſtionem; numne Quakeri inter ceteras partes religioſas, proxime referant veterum Chriſtianorum imaginem, tam quoad doctrinam, quam quoad praxes. Poſterior, ib. anno CIↃIↃCCXXI. edita, apoſtolorum et primorum patrum

patrum ecclesiae exhibet defensionem, quod recte legem Mosaicam ἀλληγορικῶς interpretati sunt:

X. *Responsio ad vtramque epistolam Aristobuli*, Anglice scripta, Lond. ann. CIↃIↃCCXXI. 8. Iterum se ipsum confutandum sumsit WOOLSTONVS; sed ita rem egit, vt eo grauiorem iniuriam sacro ordini inferret.

XI. *The moderator between an infidel and an apostate: or the controuersy between the author of the discourse of the grounds and reasons of thé Ch. R. and his reuerend ecclesiastical opponents, set in a clear light, with an exhortation to a Zealous debate of it*; Lond. ann. CIↃIↃCCXXIV. 8. Huic libello accessere eodem anno et *primum* et *secundum supplementum*. Spectare haec opuscula ad controuersiam *Collinsianam*, ipsa docet inscriptio. Potissimum in defendendo sensu scripturae sacrae allegorico versatur; eoque ita abutitur, vt litteralia de Christo vaticinia exstare, audax neget:

XII. *Origenis Adamantii renati epistola ad Whitbeium, Waterlandum, Whistonum aliosque litteratos huius seculi disputatores, circa fidem vere orthodoxam et scripturarum interpretationem*, Londin. ann. CIↃIↃCCXX. 8. *Epistola secunda* eodem anno accessit. Iterum sententiam suam de allegorica explicatione scripturae sacrae tuetur.*

§. XV.

* Praeter LEMKERVM, diligentissime de WOOLSTONI scriptis commentatus est vener. BAVMGARTENIVS loc. cit. vol. I. p. 479. sqq.

§. XV.

Prauas religionique Christianae admodum iniurias opiniones, quas in his ingenii sui monimentis prodidit WOOLSTONVS, his capitibus complecti licet:

I. Miracula, quae Christus fecerit, non posse characteres veri Messiae haberi, siquidem similia et falsos prophetas edidisse, et antichristum facturum esse, ipsa scriptura sacra doceat:

II. Miracula, quae rationi humanae aduersantur, nec posse; nec debere credi; ideoque vim perdere argumenta, quae ex illis ad demonstrandam religionis Christianae veritatem repetuntur:

III. Historiam euangelicam, si, quae in illa narrantur, sensu litterali capiuntur, esse colluuiem absurdorum:

IV. Neque ipsam veritatem factorum satis constare, quod nonnulla nonnisi ab vno euangelista enarrantur:

V. Nec de illis recte posse ferri iudicium, quum Diuini historici morbos, quos Christus sanauerit, minus adcurate et medicorum more descripserunt, vt certe posset definiri, num sanatio illorum naturali; an supernaturali modo facta sit:

VI. Hoc quoque de illis dubitandi adferre caussam, quod miseris plebeiis hominibus, non viris, in illustri dignitatis loco constitutis, Diuinum praebuit auxilium:

VII.

VII. Eadem ratione ſuſpecta eſſe, quae de reditu Chriſti ad priſtinam vitam narrantur; quod ſe non magiſtratibus et ſacerdotibus, ſuisque inimicis, praebuit conſpiciendum:

VIII. Ex his colligit, neceſſarium eſſe, vt ſenſu allegorico et myſtico omnia Chriſti miracula explicentur:

IX. Eandem fuiſſe conſtantemque antiquiorum Chriſtianae ciuitatis doctorum ſententiam, vſu exempliſque illorum confirmatam. Huic quidem argumento conciliauit aliquam veritatis ſpeciem; ſed mala fide egit, ſeque theologiae Chriſtianae prorſus imperitum eſſe demonſtrauit. Allegoricis interpretationibus nonnullos ex ordine illorum nimium tribuiſſe pretium, nemo negabit; ſed WOOLSTONVS mentitus eſt, illos aut plane ignoraſſe, aut pro falſo putaſſe omnem ſenſum litteralem, quem cum myſtico ſedulo coniungere conſueuerunt:

X. Vt haec ſcripturam ſacram interpretandi ratio admittatur, poſtulare abſurda et abſona, quae ex litteralibus expoſitionibus concluduntur. Haec fuit cauſſa, cur immani et horrenda conuiciandi libidine abreptus ſceleſtiſſimas voces in commentarios Diuinorum ſcriptorum de rebus, a Chriſto geſtis, emiſerit, et nonnullorum miraculorum deprauatas ſuas interpretationes latius explicauerit. At vero non opus eſt ſingulas a nobis enarrari, ſiquidem quae generatim hac de re ſtatuit, nobis quidem ſufficiunt. Parum cum his cohaerent, quae

quae de vniuerso doctorum sacro ordine calumniatus est; nec spectant huc somnia eius de comparandis inter se Mose et Christo: Tiberio et Pharaone, senatu Romano Aegyptiorumque fraudatoribus, aliaque huius generis commenta.

§. XVI.

Insignis est clarissimorum virorum numerus, qui in nugis his confutandis et miraculorum optimi seruatoris veritate, ab impetu scelerati hominis vindicanda, diligentiam suam collocarunt. More nostro ex multis paucos nominarè, decreuimus, quorum monimenta digna sunt, quae posterorum memoriae a scriptoribus historiae sacrae commendentur. In hunc censum veniunt:

EDM. GIBSONII, praesulis Londinensis, *pastoral letter to the people of his dioceſe, occasion'd by some late writings in favour of infidelity*, Londini CIↃIↃCCXXVIII. 8. Is vero nec contra solum WOOLSTONVM disputat, nec nomen quidem eius expressit; sed falsas eius opiniones docte eleganterque conuellit:

ZACHARIAE PEARCE *miracles of Iesus, vindicated*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXIX.

RICH. SMALBROOKII *vindication of our Saviour's miracles*, Londini ann. CIↃIↃCCXXIX. 2. vol. 8.

THOMAE RAII *vindication of our Saviour's miracles, in answer to. Mr. Woolston.* Operis pars prior prodiit Lond. ann. CIↃIↃCCXXVII. posterior ann. CIↃIↃCCXXIX. 8.

NATH. LARDNERI *vindication of three our bleſſed Saviour's miracles.* Elegans opuſculum Lond. ann. CIↃIↃCCXXIX. et Germanice conuerſum notisque illuſtratum cura ven. IO. HENR. MEYENBERGII Cellis ann. CIↃIↃCCLI. 8. prodiit. Agit vero cel. autor de filia Iairi, adoleſcente Nainitico, et Lazaro, ad vitam reuocatis:

GVIL. SHERLOCKII *tryal of the witneſſes of the reſurrection of Ieſus*, Londini ann. CIↃIↃCCXXIX. 8. libellus optimae notae.

THOM. STACKHOVSII *fair ſtate of the controverſy between Mr. Woolſton and his aduerſaries*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXX.

GEORGII WADII *two diſcourſes: the firſt; an appeal to the miracles of Ieſus Chriſt for his meſſiaſhip: the ſecond, a demonſtration of the truth and certainty of his reſurrection from the dead*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXIX. 8. His addi poſſunt SEATONVS, TILLY, SVTTONVS, DOYLE, STEVENSONIVS, BROWNIVS, HALLETVS, ex noſtris ven. IOECHERVS, WOLLIVS MYNDENIVS aliique.*

§. XVII.

* Controuerſiae notitiam ſuppeditant: cel. CHRISTIAN. GOTTL. IOECHERVS in *exam. paralogiſmor. Thom. Woolſtoni de miraculis Chriſti:* libellus Germanicus: *hiſtoria litium Thomae Woolſtoni* Lipſ. ann. CIↃIↃCCXXXIII. 8. LEMKERVS loc. cit. pater meus in der *Einleitung in die R. Str.*

auſſer

§. XVII.

Iisdem doctrinae Christianae hostibus se adiunxit MATTH. TINDALIVS. Natus est d. XVI. April. ann. CIↃIↃCLVI. litterisque operam dedit in academia Oxoniensi, et doctoris disciplinae legitimae titulum est consequutus. Vt gratiam Iacobi II. regis magnae Britanniae sibi conciliaret, in pontificiorum castra transfugit; sed Guilielmo III. ad gubernanda sceptra regni admoto, ad anglicanum coetum rediit, magnisque beneficiis tam a Guilielmo, quam ab vtroque Georgio, auctus fuit. Vitam deposuit Oxonii ann. CIↃIↃCCXXXIII. d. XVI. Aug. *

§. XVIII.

Quum TINDALIVS prauissimis moribus esset, ** exemplo suo illustri confirmauit, corruptum, quod sectatus est, vitae genus in caussa fuisse, cur animum a religione Christiana proderet alienum, eiusque praecepta odio haberet, quae sedulo obseruare, ipsi minus gratum fuit. Mul-

ausser vnserer Kirche vol. III. p. 1020. sqq. et LELANDVS in *view of the deistic. writ. epist.* VII.

* Vid. *memoirs of the life, writings and vicissitudes of fortune of Matthews Tindal*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXXIV. 8. *biblioth. raisonnée* vol. XII. part. I. p. 234. aliique laudati a MICH. LILIENTHALIO in *der theol. Biblioth.* vol. II. p. 309.

** Vid. ALBERTI *Briefe* vol. II. p. 449.

Multos conſcripſit libellos, ex quibus bini ad hunc locum pertinent: ceteri maximam partem ad ciuilem ſpectant diſciplinam. Alter ex illis ita inſcriptus eſt: *the rights of the Chriſtian church, aſſerted againſt the Romish and all other prieſts, who claim on independent power over it*, prodiitque Londini anno CIↃIↃCCVI. 8. Pars quidem operis prima dicitur; ſed alia hanc non eſt conſequuta. Quamuis in illo libro haud deprehendas, quae directe ſacris Chriſtianis ſint oppoſita; nonnulla tamen tradit argumenta, ex quibus, quid de illis ſtatuerit ſcriptor, facile intelligitur. Sibi haud temperauit, quo minus in vniuerſum doctorum coetus ſanctioris ordinem aſpere inueheretur: rem Diuinam cultumque Numinis conuertit fere in politicorum inuentum ad rem publicam bene adminiſtrandam: ſingulis hominibus religionis libertatem cupit omnibus numeris abſolutam eſſe, adeo, vt cuicunque permiſſum eſſet, ſe a conſtituto coetu ſegregare, nouumque, vt lubet, condere; et vt multa paucis complectamur, damnata ſuperiori ſeculo HOBBESII de iure ſacro dogmata inſtaurauit. Quum ex hac commentatione maius periculum epiſcoporum in Anglia ordini et ſacerdotum auctoritati imminere videretur; nec quisquam ſuſpicaretur, TINDALIVM toti Chriſtianae religioni eſſe infenſum; non miramur, viros doctos, qui laudabili diligentia ad criminationes perditi hominis reſpondere ſibi ſumſerunt, doctrinam potius de

ſacro

facro ordine vindicàſſe. At haec mittimus, prorſus remota a noſtro loco. *

§. XIX.

Quae occulte in illo tradita fuere, inimicitiae erga Chriſti cultores ſpecimina, aperta et in omnium conſpectu collocata exhibet alter TINDALII liber, omiſſo quidem auctoris nomine hocque praemiſſo titulo Londini anno CIↃIↃCCXXX. 4. et bis, vel ter forma octaua denuo deſcriptus: *chriſtianity as old as the creation, or the goſpel a republication of the religion of nature.* ** Nonniſi vna operis pars lucem vidit; alteram quidem a TINDALIO ſcriptam, eiusque iuris publici faciendi curam heredi, quem teſtamento ſcripſerat, fuiſſe commiſſam; nulla eget dubitatione; ſed eam vere prodiiſſe, omnino ambiguum eſt. Exſtat quidem deiſtici ingenii fetus, cuius inſcriptio *partem ſecundam* operis Tindaliani nunciat, Lond. ann. CIↃIↃCCXLIX. libellus exiguae molis parisque momenti; ſed facile cognoſcitur, eum a TINDALIO non eſſe profectum. ***

* Vid. ven. patris *Einleitung in die R. Str. auſſer der E. L. K.* vol. III. p. 837. ſqq. et ven. BAVMGARTENII *Nachrichten von einer Haelliſchen Biblioth.* vol. VII. p. 52. ſqq.

** Vid. patrem loc. cit. p. 1035. et ven. BAVMGARTENIVM loc. cit. vol. IV. p. 448.

*** Vid. cl. ALBERTI *praef.* vol. III. *epiſtolar.*

Tindaliani operis Germanica interpretatio, a IO. LAVR. SCHMIDIO confecta, prodiit Francof. et Lipsiae anno CIↃIↃCCXLI. 8.

§. XX.

Addimus impias opiniones, quas TINDALIVS profana mente protulit, vt iure eum in deistarum numero haberi, rectius intelligatur.

I. Religionem naturalem, qua omnes homines obstricti tenentur, debuisse, tamquam caussam felicitatis ipsorum, a primo rerum initio esse ita perfectam, vt nihil ei addi, nec quidquam de illa detrahi, posset; E. omnem reuelationem, a naturali religione diuersam, esse impossibilem:

II. Necesse fuisse, vt haec naturalis religio, omnium animis insita, quae omnia complecteretur, quae homines scire, credere, confiteri et agere oporteat, ab omnibus hominibus clarissime cognoscceretur et adhuc cognoscatur; E. omni carere reuelationem vtilitate:

III. E. nullam esse posse inter religionem reuelatam, si quae exsistere possit, differentiam doctrinae, praeceptorum, scopi et mediorum, huinc consequendi; sed tantum modi, quo diuina voluntas, eadem semper et immutabilis, cognoscitur:

IV. E. si religio Christiana sit vera, eam non posse non esse eamdem cum religione naturali:

V. E. eamdem religionem Christianam necessario aequalem esse creationi mundi; siue potius hominis:

VI.

VI. Eamdem cognoſci debere iisdem animi humani facultatibus, quibus homines brutis praeſtant:

VII. Nihil poſſe credi; niſi quod intellectus capit; nec ſecus intelligi, atque intellectus percipit: E. nihil poſſe credi; nec debere credi; niſi quod cum principiis ſanae rationis conueniat:

VIII. E. fidem nec virtutem, nec vitium recte haberi; ſed naturalem hominis habitum, res intelligendi atque tales eſſe, ſibi perſuadendi, quales eſſe, cognoſcit:

IX. E. omnibus plenam libertatem eſſe relinquendam, ita Deum colendi, vti lubet:

X. E. nec certam cultus ſacri formulam populo poſſe praeſcribi:

XI. Deum ſui cauſſa nihil ab hominibus poſtulare. Hac vero θέσει TINDALIVS ita abutitur, vt praecipuas cauſſas, cur virtuti ſtudendum ſit, vere tollat:

XII. Veram religionem abſolui ſeria voluntate, omnia bona efficiendi, quae a nobis effici queunt, vt placeamus Deo, hoc eſt, noſtram felicitatem augeamus et ſtabiliamus:

XIII. Superſtitionem atheiſmo eſſe peiorem. Collegimus ſedulo dogmata et ſeruato ordine enarrauimus, qui aptus eſt ad declarandum nexum, cuius vinculo inter ſe cohaereant, licet late diſperſa ſint in opere *Tindaliano*.

§. XXI.

At uero ex illis ſatis intelligitur, omnem renelationem ideoque cultum diuinum, ad normam

reuelationis compoſitum per illa aperte tolli et inter pueriles fabulas abiici. Quare neceſſe fuit, vt veri rectique cultores eis ſe obiicerent dignitatemque ſacrae ſcripturae tuerentur. Breuiores; ſed docte politeque exarati ſunt libelli E D M. GIBSONII, praeſulis Londinenſis, THOMAE BVRNETI, DANIEL. WATERLANDI, GVIL. LAW, aliorumque, criminationibus TINDALII oppoſiti. Commemoramus igitur, qui maiore cura in confutandis illis verſati ſunt:

IOANNEM LELANDVM, cui debemus: *Anſwer to a late book, intitled: Chriſtianity as old as the creation*, binis voluminibus Dublin. an. CIↃIↃCCXXXIII. et Lond. CIↃIↃCCXL. 8. Eiusdem operis Germanicam exſpectamus verſionem:

IOANNEM CONYBEARIVM, qui ſcripſit: *a defence of revealed religion, againſt the exceptions of a late writer in his book, intitled: Chriſtianity as old as creation*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXX. 8.

HENRIC. STEBBINGIVM, clariſſimi nominis theologum. Bina opuſcula contra TINDALIVM in lucem emiſit. Alterum hanc praeſe fert inſcriptionem: *diſcourſe, concerning the vſe and advantage of the goſpel revelation, in which are obviated the principal obiections contained in a book, intitled: Chriſtianity*, cet. Lond. ann. CIↃIↃↃCXXXI. 8. Alterum: *defence of Dr. Clarke's evidences of natural and revealed religion, in anſwer to the XIV. chapt, of a book*, cet. ib. eod.

TIN-

TINDALIVS enim tam impudenti fuit animo, vt CLARKIVM errorum fuorum patronum quaſi laudaret et nonnulla, ab hoc praeclarè dicta, ita detorqueret, vt cum ipſo videretur conſentire; alia vero conuellere, ſibi ſumeret: *

ANTON. ATKEY, cuius opera prodiit: *a main argument of a late book, intitled --- fairly ſtated and examined, or a ſtard view of the whole controverſy*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXXIII. 8.

IAC. FOSTERVM, cuius commentarii maximo plauſu excepti fuere, licet omnino caute ab iis legi debeant, qui viri docti opiniones de rebus ſacris ignorant. Typis deſcripti fuere Londini ann. CIↃIↃCCXXXI. 8. hoc titulo ornati: *the uſefulneſs, tiuth and excellency of the Chriſtian reuelation, defended againſt the obiections, contained in a late book, intetled*, cet. Itidem Germanice conuerſi, *Schmidianae* opuſculi Tindaliani interpretationi, cuius ſupra fecimus mentionem, fuere ſubiecti. Contra hos TINDALII aduerſarios cauſſam eius defendendam amici eius ſuſceperunt, ex quibus GEORGIVS IOHNSTONIVS laudatur. Edidit: *Chriſtianity older than the creation; or the goſpel the ſame with natural religion*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXXIII. 8. Ea vero, quae a viris celeberrimis, CONYER. MIDLETONO et IOANN. IACKSONIO contra

* Vid. TINDALII *Chriſtianity as old as creation*, cap. XIV. p. 323. ſqq.

nonnullos TINDALII hoſtes, maxime ven. WATERLANDIVM, fuere diſputata, ab hoc loco ſunt aliena.

§. XXII.

Non dubitamus, hoc loco BERNARDI MANDEVILLII facere mentionem. Quamuis enim eum in Belgio, Dordraci in lucem ſuſceptum fuiſſe, non ignoremus, certum tamen eſt, maximam vitae ſuae partem eum medicinam facientem, Londini tranſegiſſe ibidemque ann. CIↃIↃCCXXXIII. d. XVII. Ian. illam cum morte commutaſſe. * Ipſa quoque lingua, qua libellos ſuos conſcripſit, in cauſſa eſt, vt deiſtis Anglicanis adnumeretur.

§. XXIII.

Eorum, quae MANDEVILLIVS contra religionem reuelatam protulit, haec eſt ſeries. Anno huius ſeculi VI. prodiit illius de apibus fabula, poema Anglicanum idque breue. Poſtea tamen commentariis idem illuſtrauit lucique publicae expoſuit ann. CIↃIↃCCXIV. Quae editio *longioris de apibus fabulae* nomine ſolet inſigniri, repetita ann. CIↃIↃCCXXIII. Hac tamen copioſior eſt editio Londinenſis, ann. CIↃIↃCCXXIX. XXXII. 8. typis deſcripta, et in duas partes diſtributa

* De MANDEVILLIO omnium optime commentatus eſt cel. WINDHEMIVS *biblioth. philoſ.* vol. II. p. 421. ſqq.

buta, cuius integram recitamus inſcriptionem: *the fable of the bees; or private vices publick benefits. With an eſſay on charity and charity-ſchools and a ſearch into the nature of ſociety. The ſixth Edition, to which is added a vindication of the book from the aſperſions, contain'd in a preſentment of the grandjury of Middleſex and an abuſive letter to Lord C.* Prior pars continet fabulam de apibus, obſeruationibus auctam; poſterior *colloquia ſex*, ex quibus quatuor priora de *origine honoris* et *vtilitate religionis Chriſtianae in bello* ſeparatim excuſa exſtant Lond. ann. CIↃ-ↃCCXXXII. 8. Eodem auctore, ann. CIↃIↃ-CCXX. alia commentatio: *free thonghyts on religion the church and national happineſs*, Londini in lucem exiit et in linguam Gallicam Germanicamque tanslata fuit. Tandem memoranda eſt interpretatio Gallica *fabulae de apibus*, quae *quatuor voluminibus* comprehenſa, Londini anno CIↃIↃCCXL. 8. lucem vidit publicam ac pleraſque complectitur MANDEVILLII commentationes. * Caueas vero, ne *fabulam de apibus* cum alia, quae idem nomen prae ſe fert, a TYSSOTO ſcripta, confundas.

§. XXIV.

Animum MANDEVILLII omnino religioni Chriſtianae infenſum fuiſſe, ex his eius com-

* Compares dicta a ſumme ven. BAVMGARTENIO in *den Nachrichten von einer Haelliſch. Biblioth.* vol. III.

mentationibus abunde patet. Ingreſſus vero eſt talem, contra illam pugnandi rationem, vt nimium periculum rei Chriſtianae eius opiniones adferre poſſe, vix crederentur. Inter has principem locum obtinet ſententia, quam fabula de apibus explicat, fieri poſſe, vt vitia minus noceant felicitati reipublicae; ac virtutis ſtudia. Hanc modo aliis dogmatibus, itidem impiis, confirmauit; modo alia ex illa deduxit, quae non modo virtutis et religionis; ſed etiam honeſtatis nomen ex mundo tollunt; aut ſi relinquant, ad infimam tamen plebem abiiciant. Nonnulla inprimis contra morum doctrinam, a Chriſto traditam, adiecit, vt illam ſaluti gentium contrariam eſſe, comprobaret.

§. XXV.

Eadem de cauſſa nominare liceat ALBERTVM RADICATI comitem de PASSERANO, qui ex Italia in Angliam transfugit, vt euaderet ex inſidiis, quas inquiſitionis miniſtri ei faciebant. Ipſe quidem ſacris Romanis quum addictus eſſet et valeret ingenio, non potuit intelligere, quanta illorum pars ſit vana et ſuperſtitiofa. Acceſſerunt ſimultates, inter Romanum pontificem regemque Victorem Amadeum, qui iure pacis Traiectinae Siciliam obtinuerat, exortae. Cu-

III. p. 133. vol. VIII. p. 50. 56. 61. et in *den Nachr. von merkw. Bychern* vol. VIII. p. 447. ſqq.

Cupiebat vero rex, a viris doctis publicis scriptis iura sacra, quae Siculorum regi omnino tributa sunt, monarchiae nomine omnium ore celebrata, defendi, eodemque labore noster non sine laude fungebatur originesque verae tyrannidis pontificiae facile inuestigabat. Hinc in animo illius natum esse videtur summum odium, quo postea quosuis sacri ordinis viros, immo religionem Christianam omnem prosequutus est, auctum confirmatumque vsu et consuetudine COLLINSII et TINDALII, quibus amicis in Anglia vtebatur. Ex ingenii, quae reliquit, monimentis * notamus *collectionem* illam, rarioribus libris adnumerandam, cuius hic est titulus: *recueil de pieces curieuses sur les matieres les plus intereſſantes* Roterodami; siue potius Hagae comitum ann. CIↃIↃCCXXXVI. 8. Continentur illa: 1) *historia de se ipso*: 2) *discours moraux historiques et politiques.* Harum dissertationum amplior exstat interpretatio Anglicana: *discourses concerniny religion and gouvernement*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXXIV. 8. In illis haud paucae occurrunt sententiae erroneae: noluisse Christum constitui ecclesiae doctores: deistas atheosque, (veros quidem atheos exsistere, negat) meliores esse maxima parte sacerdotum: legem Christi a multis gentibus, quae eam ignorent, recte obseruari: templa exstructa constitutosque episcopos omnium

* Vid. *biblioth. misonne* tom. VIII. p. 477.

um malorum complecti cauſſas : plenam eſſe in ſacram ciuitatem ſummi imperantis poteſtatem, cet. Quae de pontificis Romani arrogantia et incommodis, quae hinc ad remp. redundant, diſputat, non prorſus contemni poſſunt; teſtantur tamen, ignoraſſe auctorem, alio ritu, quam Romano, veram Chriſti religionem coli poſſe et vere coli: 3) *hiſtoire abregée de la profeſſion ſacerdotale ancienne et moderne.* Exiguus libellus ea repetit, quae maxime inde a CHERBVRIO ſexcenties homines, noſtro ſimiles, dixerunt: 4) *Nazarenus et Lycurgus mis en parallele par Lucius Sempronius, Neophyte. Epitre à l'empereur Traian Aug.* Nazareni nomine ipſum Chriſtum ſignificat auctor eiusque vitam ita deſcribit, vt prorſus noua et inaudita de illo proferat, quae, licet Deum verum eſſe, non aperte negent, idem tamen haud obſcure inferunt. Deinde vitam Lycurgi ita deſcribit, vt vitae Chriſti ſimillima ſit: denique vtriusque inſtituta legesque comparat, vt nihil diſcriminis inter Diuinum doctorem Graecumque legislatorem interceſſiſſe, concludere videatur: 5) *recit fidel de la religion des cannibales modernes par Zelim Moslem, dans lequel l'auteur declares ſes motifs, qu'il eut de quitter cette abominable idololatrie. Traduit de l'Arabe.* Facetus libellus ſatiricoque ſcribendi genere exaratus. Fabula in pontificios dicta eſt, quos ob dogma de transſubſtantiatione *ἀνθρωποφαγίας* adcuſat. Quamuis Turcam ſuum, intro-

introduxerit, relictis illis sacris ad protestantium castra transiisse, nec tamen sibi temperauit, quin in haec quoque acrius inueheretur: 6) *projet facile, equitable et modeste, pour rendre vtile à notre nation vn tres grand nombre de pauvres enfans qui lui sont maintenant fort à charge. Traduit de l'Anglois.* Ioceturne auctor; an serio rem agat, difficile dictu est. Proponit enim consilium, pueros Hibernos mactandi ac comedendi. Quum alia commentatione *de morte*, quam numquam oculis vsurpauimus, immortalitatem; siue potius exsistentiam animae negare sibi sumsit, parum abest, quin vere horrendum consilium eum adprobasse, suspicemur. *

§. XXVI.

Vertit se nostra oratio ad THOMAM MORGANVM. Primum sanctiori disciplinae, deinde salutari arti deditus doctorisque titulum dignitatemque consequutus, Londini medicinam fecit; sed optatis eius quum exitus parum responderet, nec tantam pecuniae copiam sibi adquireret; quanta homini, cum libidinosis luxuriose viuenti, opus erat, ad conscribendos libros, religioni oppositos, animum adpulit. Primum Arianismus ei placuit: deinde Socinianismus: tum Quakerorum doctrina: denique deismus. Sic

* Vid. BAVMGARTENIVM loc. cit. vol. II. pag. 528. sqq.

Sic ſuo exemplo docuit, qui ſemel a vera rectaque ad ſapientiam via declinauerit, facillime grauiſſimis erroribus poſſe capi. Infelix finiuit vitam Londini ann. CIↃIↃCCXLIII. d. XIV. Ian.

§. XXVII.

Poſt WOOLSTONVM, nemo ex deiſtarum grege tantas turbas in Anglia excitauit; quantarum MORGANVS auctor exſtitit, quum impudenti animo et incredibili audacia Chriſtianam doctrinam diuinamque maxime ſacri codicis auctoritatem oppugnaret. Aliena ab hoc loco ſunt nonnulla, quae in lucem emiſit, monimenta, ad Socinianorum cauſſam agendam comparata. In quibus memorabilis inprimis eſt, *collectio tractatuum (a collection of tracts)* Londini anno CIↃIↃCCXXVI. edita. Quare ſatis eſt, opinamur, recitare eius commentationes, aduerſus caeleſtem reuelationem compoſitas. In his quidem principem locum tenet:

I. *The moral-philoſopher, in a dialogue between Philalethes, a Chriſtian deiſt, and Theophanes, a Chriſtian Jew. In which the grounds, and reaſons of religion in general, and particularly of Chriſtianity, as diſtinguish'd from de religion of nature ... are fairby conſidered and debated and the arguments on both ſides impartially repreſented.* Haec eſt inſcriptio *primi* operis voluminis, quod Londi ann. CIↃIↃCCXXXVII. et CIↃIↃCCXXXVIII. 8. in lucem exiit. *Secundum* illius vindi-

vindicias aduerſus doctas LELANDI et CHAPMANNI diſputationes complectitur, Lond. ann. CIↃIↃCCXXXIX. 8. *tertium* denique, a. CIↃIↃCCXL. 8. editum, eiusdem eſt argumenti ac futilia exhibet reſponſa ad ea, quae itidem LELANDVS et LOWMANNVS ſecundo volumini oppoſuerant. Praeter haec, alia exſtant MORGANI opuſcula, quibus doctrinam ſuam, in *philoſopho morali* traditam, tueri ſtuduit. Quo ſpectant:

II. *A defenſe of the moral philoſopher*, Londini ann. CIↃIↃCCXXXVII. 8. breui tempore, ex quo primum volumen iuris publici factum eſt, ei obiiciebatur breuis, ſed eruditus libellus: *the immorality of the moral philoſopher*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXXVII. et CIↃIↃCCXL. 8. Contra hunc MORGANVS in hac commentatione diſputat:

III. *A vindication of the moral philoſopher, againſt the falſe accuſations, inſults and perſonal abuſes of Samuel Chandler*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLI. De CHANDLERI libris, aduerſus MORGANVM ſcriptis, poſtea dicendi locus erit:

IV. *Sacerdotiſm diſplay'd, or a brief examination of the rev. Mr. Warburton's diuine legation of Moſes*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLII. 8. Ad haec accedunt:

V. *Phyſicotheology or a philoſophico-moral diſquiſition, concerning human nature*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLI. 8.

VI.

VI. *The axt laid to the koot of Chriſtian prieſtcraſt*, ann. CIↃIↃCCXLII. 8. *

§. XXVIII.

Quamuis MORGANVS aliis perſuadere videatur, ſe neque reuelationem Diuinam auerſari; nec carere erga Chriſtum reuerentia; ea tamen, quae in opere, *moralis philoſophi* nomine inſignito, prodit, dogmata abunde ſufficiunt ad cognoſcendum acerbum odium, quo reuelationem omnem ſacrique codicis ſcriptores et primaria doctrinae Chriſtianae capita proſequutus eſt. Ne diſcedamus a more noſtro, nonnullas illius prauas enarrabimus ſententias, cuius generis ſunt:

I. Vnicum, quod neminem fallit, argumentum Diuinae originis doctrinae; aut legis cuiusdam eſſe veritatem illius moralem, dum ex rei natura, animo bene concepta, eam ita eſſe, vti videtur eſſe, cognoſcimus:

II. Veritatem hanc moralem ex ipſa rei cum noſtra ſalute coniunctione diiudicari:

III.

* Conf. LEMKERI *praefationem hiſtoricae Woolſtoni*, ſupra laudatae, praemiſſam, p. II. ſqq. PAVLL. MATY in *biblioth. Britann.* tom. VIII. pag. 430. tom. X. p. I. tom. XII. p. 331. tom. XIII. p. 262. MICH. LILIENTHALIVM in *der theolog. Bibl.* p. 333. ſqq. et ven. BAVMGARTENIVM in *den Nachricht. von einer Haelliſchen Bibl.* vol. V. p. 330. ſqq.

III. Quid nobis conducat; nec ne, docere ſanam rationem. E. ipſam rationem docere, quaenam ſit lex; aut doctrina Diuina:

IV. Quamuis ergo fieri poſſit, vt Deus homini *ἀμέσως* quid patefaciat; tamen nec hominem, cui reuelatio contingat; neque alios ſcire poſſe, num quid a Deo ſit reuelatùm; niſi ex illis, quae diximus, argumentis:

V. Nulla miracula veritatem Diuinae reuelationis comprobare, ſiquidem eadem ab impoſtoribus et ipſis daemonibus edi queant:

VI. Omnes libros prioris foederis eſſe ineptis fraudibus Moſis et prophetarum refertos ideoque haud Diuinos:

VII. Miracula Moſis prorſus eſſe ficta et fabuloſa:

VIII. Moſen legem et doctrinam ſuam non ſolum ad pueriles populi opiniones adcommodaſſe; ſed etiam ad hunc finem retuliſſe, vt tyrannidem ſacerdotalem conſtitueret et confirmaret, qua populus fuerit oppreſſus:

IX. Summum Iudaïcorum ſacrorum antiſtitem ſummam quoque ſibi adrogaſſe reip. poteſtatem:

X. Sacrificia humana antiquioribus Iudaeorum magiſtris fuiſſe adprobata; expiatoria vero fraudibus ſacerdotum adnumeranda:

XI. Diuina reſponſa, quae per *vrim* et *thummim* facta ſunt, cum gentilium oraculis pari loco habenda eſſe. Tacemus de calumniis, qui-

bus Ioſephi patriarchae, Moſis, Samuelis, Dauidis aliorumque illuſtrium virorum memoriam impudentius adfecit; nec de nugis dicimus, quas de exitu populi Iudaici ex Aegypto veterumque de hycſos narrationibus protulit:

XII. Ieſum Nazarenum verum fuiſſe prophetam, hoc eſt, doctorem verae doctrinae de moribus recte formandis; ſed nec talem Meſſiam, qualem Iudaei veteres exſpectauerint; nec talem, qualem Chriſtiani doctores a vatibus deſcribi, fingere conſueuerint:

XIII. Veram Chriſti doctrinam nihil complecti, quam perfectum officiorum naturalium σύστημα; quod corruptae Iudaeorum diſciplinae oppoſuerit:

XIV. Si cui Chriſtus pro hominibus ſatisfecerit, neceſſe eſſe, vt ſatisfecerit diabolo; hoc vero quum falſum eſt, nullam factam eſſe a Chriſto ſatisfactionem:

XV. Quaecumque de redemtione hominum, a Chriſto facta, in ſacris litteris dicta ſunt, ita capi debere, vt, reſtituta vera morum doctrina, homines ad officia ſua fuerint redacti:

XVI. Mortis, quam ſubiit Chriſtus, has fuiſſe cauſſas, vt ſuam erga Deum obedientiam demonſtraret: veram eſſe, quam tradidit, doctrinam, comprobaret: ſuo nos doceret exemplo, recte ab hominibus exſpectari Dei auxilia; eos vero ſe, vitam animaeque poſt mortem ſtatum benignae Dei voluntati debere committere:

XVII.

XVII. Sacramenta inuenta esse sacerdotum. Baptismum, quasi initiandi ritum, non infantibus Christianorum, sed iis, qui relicto deorum cultu, ad sacra illorum accedere cupiunt, posse conferri:

XVIII. Miram fuisse inter legatos Christi discordiam: Paullum inprimis, enthusiastico furore actum, longe aliud nunciasse euangelium; ac Petrum. Hactenus MORGANI doctrina, qua, dubitamus, peiorem homineque, in quo sana inest mens, magis indignam vel animo fingi posse.

§. XXIX.

Tantas criminationes, contra sanctissima Christianae religionis dogmata, magno studio collectas, vt iustis argumentis confutarent et, quae vera certa ac salutaria sunt, tuerentur, summa opera enisi sunt, clarissimi Anglorum theologi:

IOANN. LELANDVS in insigni opere: *The diuine authority of the old and new testament asserted*, cet. cuius pars prior Londini anno CIↃIↃCCXXXIX. 8. posterior ann. CIↃIↃCCXL. lucem vidit. Illa primo, haec secundo operis *Morganiani* volumini est opposita. Germanicam illius interpretationem propediem exspectamus:

IOANN. CHAPMANNVS, cuius exstat vtilissimus liber: *Eusebius, or the true Christians defense against a late book intitul'd: the moral*

philoſopher, itidem in duas partes diuiſus, quarum prior Londini ann. CIↃIↃCCXXXIX. poſterior ann. CIↃIↃCCXLI. prodiit:

MOSES LOWMANNVS, qui ſcripſit: *A diſſertation on the civil governement of the Hebrews*, Lond. ann. CIↃIↃCCXL. et XLV. 8. *an appendix to a diſſertation on the civil governement*, ann. CIↃIↃCCXLI. 8. vtriusque diſſertationis duplex extat verſio Germanica. Addidit: *The ancient hiſtory of the Hebrews vindicated*, Londini ann. CIↃIↃCCXLI. 8.

SAM. CHANDLERVS, qui in lucem emiſit *a vindication of the hiſtory of the old teſtament*, Londini ann. CIↃIↃCCXLI. 8.

THEOPHANES *Cantabrigienſis*, cuius *ancient hiſtory of the Hebrews vindicated*, Londini ann. CIↃIↃCCXLI. 8. *tertio* volumini *philoſophi moralis* oppoſita eſt et maxime, quae de hycſos commentus eſt MORGANVS, ſedulo refellit. In eodem argumento tractando verſatum fuiſſe cel. BAVMGARTENIVM, nemo neſcit:

IOSEPHVS HALLETVS, qui facetum librum ſcripſit: *the immortality of the moral philoſopher*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXXVII. 8. adiecitque: *a rebuke to the moral philoſopher* anno CIↃIↃCCXL. 8. Praeter hos prodiere nonnulli libelli *ἀνώνυμοι*, neque inter noſtrates defuerunt, qui MORGANI ineptias conuellerent. *

§. XXX.

* Exſtat elegantiſſima CHR. GOTTL. IOECHERI *hiſtoria*

§. XXX.

De THOMA CHVBBIO haec notasse, sufficiat. Ignobili loco parentibusque plebeii ordinis natus fuit ann. CIↃIↃCLXXIX. Liberalibus disciplinis numquam institutus fuit; neque alia sibi adquisiuit ornamenta, praeter legendi litterasque pingendi facultatem; nec linguam, praeter patriam, vnquam didicit. Naturae tamen donis eum conspicuum fuisse, negari nequit. Puer in disciplinam magistri chirothecarum conficiendarum traditus, huic arti dedit operam sibique illa parauit victum, vsque dum oculorum doloribus adflictus, se in ciuitatem Sarisberiensem domumque opificis, qui candelas parabat, recepit, et in eius laborum venit societatem. Anno CIↃIↃCCXI. quum WHISTONI praefationem, *Christianismo primitiuo* praemissam, legit, nonnulla contra illam litteris consignare cepit eaque, amicis probata, WHISTONO commisit, cui nec illa displicebant. Ab eo tempore audacior factus, libellis conscribendis sedulo operam dedit, iisque primum Socini, deinde deistarum errores propugnauit; nec abfuisse videtur ab atheismo. Mortalitatem finiuit ann. CIↃIↃCCXLVII. *

historia controuersiarum, a Thom. Morgano excitatarum.

* Exstare dicitur vita CHVBBII; sed a nobis numquam visa. In operibus *posthumis* ipse CHVBBIVS

§. XXXI.

Si numerum librorum ſpectas, CHVBBIVS omnes religionis Chriſtianae hoſtes diligentia ſuperauit. Nec fieri poteſt, vt ſingulos libellos percenſeamus; neque iſto labore opus eſt, quum duplex exſtat operum CHVBBII collectio, qua maxima illorum pars continetur. * Vtrique ſi ea addiderimus opuſcula, quae neutri inſerta ſunt, noſtro quidem putamus nos ſatisfeciſſe officio. Memoramus igitur:

I. *A collection of tracts, on various ſubiects.* Londini CIↃIↃCCXXX. 4. Prima eſt collectio, quae XXXV. libellos, inde ab anno CIↃIↃCCXV. vſque ad annum XXX. editos complectitur. In illis pauca ſunt, quae deiſmum redoleant, plurima vero ad Socinianorum ſententias ſunt adcommodata, licet ſaepius difficile ſit, definire, num Arii, an Photini partes amplectatur CHVBBIVS. **

II. *Nouveaux eſſais ſur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme et l'origine du mal*, Amſtel. ann. CIↃIↃCCXXXII. 12. Gallica exhibetur verſio

BIVS de rebus ſuis commentatus eſt. Conf. ven. KRAFTII *theol. Biblioth.* vol. III. p. 839. ſqq.

* Dubitamus enim, collectionem tertiam, quae in *bibliotheque raiſonné* tom. XL. p. 229. nunciatur, vere prodiiſſe.

** Vid. ven. BAVMGARTENII *Nachricht. von einer Haelliſch. Biblioth.* vol. V. p. 52. ſqq.

sio trium commentationum, quae in laudata collectione Anglicana exstant.

III. *A discourse concerning reason with regard to religion and diuine reuelation*, Londini ann. CIↃIↃCCXXX. et XXXIII. 8. Apertius hic animum, deismo deditum, prodit pugnatque contra EDM. GIBSONVM:

IV. *An enquiry concerning the grounds and reasons, or what those principles are, on which two of our anniversary solemnities are founded*, cet. Lond. a. CIↃIↃCCXXXII. 8. Inter omnes conuenit, hoc esse in Anglia institutum, vt d. XXX. Ian. memoriam Caroli I. regis, a ciuibus tristissima morte adfecti, et d. V. Nou. liberatae patriae a Guilielmo III. recolant. De vtroque die festo disputat CHVBBIVS alterumque alteri manifesto contrarium esse, contendit. Hoc quidem ad controuersias deisticas quo minus spectat; eo maiori huc refertur *additamentum*, quo de *ratione, ad religionem et reuelationem relata*, more suo differere, pergit:

V. *Four tracts*, cet. Londini ann. CIↃIↃCCCXXXIV. 8. Quatuor commentationes, vno hoc volumine comprehensae, hae sunt: 1) disquisitio de Diuina origine librorum noui testamenti. Quam quidem soli apocalypsi vindicat; ceteris omnibus abnegat: 2) demonstratio, argumento, quod ex resurrectione Christi repeti solet, Christianae religionis veritatem minus recte comprobari: 3) libellus de mandato Diuino de immolan-

do Isaaco. Hoc iustitiae Diuinae aperte credit aduersari hancque sententiam, a viro docto, STONIO, confutatam, denuo tuetur: 4) disputatio de aequitate iudicii extremi, exemplo parabolae, Matth. XVIII. relatae, demonstrata:

VI. *Some observations offered to publick consideration*, Londini a. CIↃIↃCCXXXV. 8. Agit praecipue de fide historicorum prioris foederis eamque infringere studet: de immolatione Isaaci: de animi sinceritate: et de iudicio extremo poenarumque infernalium aeterna duratione:

VII. *The equity and reasonableness of the divine conduct in pardonning sinners upon their repentance exemplified*, Lond. a. CIↃIↃCCXXXVII. 8. Exemplum, quo vtitur, ad peruertendam veram de iustificatione doctrinam, est filii perditi. Addidit tres dissertationes: primam de verbis Paullinis Tit. III, 10. 11. secundam de tempore sabbati celebrandi: tertiam de mulcta pecuniaria:

VIII. *The true gospel of Iesus Christ asserted*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXXVIII. 8. Accessit brevis dissertatio de prouidentia:

IX. *The true gospel of Iesus Christ vindicated*, Lond. a. CIↃIↃCCXXXIX. 8. Vindicias quoque commentationis de prouidentia adiecit. Vtramque CHVBBII dissertationem confutauerat HALLETVS, cui responsa dare vult noster:

X. *An enquiry into the ground and foundation of religion*, Londini anno CIↃIↃCCXL. 8. Iterum tres additae sunt commentationes, prima aduer-

aduerſus STEBBINGIVM, ſecunda de verbis Chriſti Matth. XIX, 21. tertia de praeſcientia Diuina:

XI. *A diſcourſe an miracles*, Londini anno CIↃIↃCCXLI. 8.

XII. *An enquiry concerning redemption, wherein the Chriſtian redemption is particularly conſidered*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLIII. 8.

XIII. *The poſthumous Works.* Collectionis huius ſecundae bina ſunt volumina, quae Lond. ann. CIↃIↃCCXLVIII. 8. prodierunt. Opuſcula, quae illa exhibet, ſuſpicionem, CHVRBIVM deiſmo fauere, penitus confirmarunt. *

§. XXXII.

Quum CHVBBIVS litterarum eſſet expers ſuasque de rebus Diuinis ſententias ſaepius ſoleret immutare, non poteſt fieri, vt ab illo conſtans et iuſtis vinculis copulatum opinionum σύστημα exſpectetur. Paucas igitur colligemus illius propoſitiones, quas, conſtat, CHVBBIVM reuelationi ac Chriſtianae religioni oppoſuiſſe.

I. Omnis religio abſoluitur notitia rerum, quae iuſtae, aut iniuſtae ſunt, ac ſtudio, per actiones iuſtas Deo placendi:

II. Bonitas et prauitas actionum liberarum non dependet ab arbitrio legislatoris; ſed a conuenien-

* Vid. ven. BAVMGARTENII *Nachricht. von merkwürd. Büchern* vol. I. p. 333. ſqq. et ven. KRAFTII *theol. Biblioth.* vol. III. p. 839. et vol. IV. p. 49. ſqq.

uenientia earum morali, id est, relatione ad felicitatem hominum:

III. Quilibet homo habet rationem, id est, facultatem, vera a falsis, bona a malis discernendi:

IV. E. ratio humana sufficit ad religionem veram:

V. Non fas est, distinguere statum hominum ante lapsum ab eorumdem statu post lapsum. Etenim nec Adami lapsus eum ratione priuasse legitur; nec posteros illa priuare potuit; nec sine summa iniuria iisdem imputari:

VI. Doctrina de necessitate satisfactionis, Deo praestandae, aeque rationi humanae, ac Diuinae iustitiae contradicit:

VII. Nec libri veteris, nec noui testamenti a Deo sunt inspirati: illi, quod manifesto falsa enarrant; hi, quod historici sacri retulerunt ea, quae antea illis cognita erant: sibi ipsi inuicem contradixerunt, et plures easdem res litteris consignauerunt; apostoli vero litteras suas sine reuelatione scribere potuerunt: ipse denique Paullus, quae mandet, a praeceptis Diuinis discerni iussit:

VIII. Vniuersus sacer codex in ecclesia Romana misere corruptus ac deprauatus est:

IX. Iesus Nazarenus fuit propheta, a Deo missus, vt hominibus viam ad veram felicitatem ostenderet iisque gratiam Dei declararet:

X. Do-

X. Doctrinae, quam Christus tradidit, tria praecipua sunt capita. *Primum* est mandatum, vt quisque et mentis cogitationes et actiones suas ad aeternam et immutabilem componat normam, quae ex intrinseca rerum natura queat cognosci, sicque gratiam Dei vitamque aeternam consequatur:

XI. *Secundum* rationem explicat, qua is, qui ab illa regula discessit, ideoque peccauit, in gratiam cum Deo redire possit. Quae quidem ratio in sola poenitentia posita est, ita vt haec sola sit caussa remissionis peccatorum; nec satisfactione Christi actiua, nec passiua opus sit:

XII. *Tertium* denique est doctrina de futuro iudicio praemiisque et poenis actionum, in hac vita commissarum:

XIII. Haec Christi doctrina quum displiceret Iudaeis, male moratis, eum interfecerunt; sed rediit ex morte ad pristinam vitam, non vt doctrinae suae demonstraret veritatem; sed vt excitaret confirmaretque discipulorum animos:

XIV. Ipsa igitur resurrectio Christi, non valet ad probandam religionis Christianae veritatem:

XV. Apostoli nonnihil in euangelio Christi immutarunt; sed longius illis progressi sunt recentioris aeui doctores, vt talis ecclesia, qualem Christus esse voluit, nullibi superstit:

XVI. Paullus inprimis auctor et inuentor exstitit multarum fraudum piarum; nec abstinuit a men-

a mendaciis, si, illa e re sua esse, iudicauerit. His, quae deisticam prauitatem CHVBBII satis testantur, nonnullas addimus eius sententias, quae aeque naturali, ac reuelatae religioni contrariae sunt:

XVII. Quaecumque habent caussam efficientem extra Deum, eorum Deus non potest esse caussa efficiens:

XVIII. Actiones hominum liberae sunt effectus illorum: E. non Dei:

XIX. Quae Deus praeuidit, ea fiunt necessario: E. nulla datur praescientia media:

XX. Hinc, quum nulla est Dei prouidentia vera, preces Deo placere nequeunt; nec quidquam efficere. Denique

XXI. Poenas infernales fine carere, constanter negauit.

§. XXXIII.

Ex eorum numero, qui CHVBBII nugas conuellere sibi sumserunt, maxime eminent:

CALEB. FLEMMINGIVS, qui edidit: *Thruth and modern deism at variance*, Londini ann. CIↃIↃCCXLVI. 8. et *true deism the basis of Christianity*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLIX. 8. Posterior liber operibus CHVBBII posthumis est obiectus:

IOSEPH. HALLETVS, cuius egregium exstat opusculum: *the consistent Christian, being a confutation of the errors advanced in Mr. Chubb's book*

book intituled: the true gospel of Iesus Christ asserted, Lond. ann. CIↃIↃCCXXXVIII. 8.

10. LELANDVS, qui opera CHVBBII posthuma in nobilissimo opere de *controuersiis deisticis* epist. XII. et XIII. diligentius confutauit. His WHISTONVS, STEBBINGIVS, IACKSONIVS aliique addi possunt.

§. XXXIV.

Nouum armorum genus, quibus contra religionem Christianam pugnaret, inuenit scriptor libelli, qui, hac praemissa inscriptione: *Christianity not founded on argument*, sine auctoris nomine Lond. ann. CIↃIↃCCXLII. 8. in lucem publicam exiit. Vt omnia, quae impudens homo, simulatam praetexens pietatem verique studium, congessit, breuibus complectar verbis, Christianam religionem, contendit, rationi humanae prorsus contrariam esse; nec illius veritatem ingenii viribus posse intelligi, sed firmam de illa persuasionem in omnium, qui ad fidem praedestinati sunt, animis sola Dei reuelatione ἀμέσως produci. Fanaticum dixeris, nisi aliis documentis abunde constaret, eum omnino haec eo consilio protulisse, vt irrideret Diuina oracula. Quo maiorem prae se tulit modestiae speciem; eo grauius periculum metuendum fuit, quo imprudentiores facilius deciperentur. Nec fieri potuit, quin praestantissimi viri ad auertendum illud studia sua conferrent. Laudantur inter alios:

GE-

GEORG. BENSONIVS, vir clariſſimi nominis, qui litteris conſignauit: *the reaſonableneſs of the Chriſtian religion, as delivered in the ſcriptures*, Londini ann. CIↃIↃCCXLIII. 8.

THOMAS RANDOLPHVS, cui acceptum ferimus inſignem librum: *the Chriſtian's faith a rational aſſent*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLIV. 8.

IOANN. LELANDVS, qui ſingulari opera confutauit iſtam commentationem in *remarks on a late pawiphlet, intitled, Chriſtianity not founded on argument*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLIV. 8. Illis quoque ſe cel. PHIL. DODDRIDGE adiunxiſſe, meminimus, ſed illius opuſculum oculis vſurpandi nobis nondum facta eſt copia.

§. XXXV.

Eodem tempore praecipuum doctrinae Chriſtianae caput de reſurrectione Chriſti, a praeſtantiſſimis viris, maxime DITTONO et SHERLOCKIO * exquiſitis argumentis comprobatum, impugnare adgreſſus eſt ignobilis homo, qui MORGANI exemplo ſibi *philoſophi moralis* nomen adſciuerat. Edidit enim *the reſurrection of Ieſus conſidered, in anſwer to the trial of witneſſes*, Londini ann. CIↃIↃCCXLIV. 8. Tres potiſſimum ſunt res, quas demonſtrare, ſibi ſumſit:

* SHERLOCKII liber: *trial of the witneſſes of the reſurrection of Ieſus* inprimis commemorari debet, vt dicenda a nobis rectius intelligantur.

sit: primum, Christum nulla edidisse de reditu suo ad pristinam vitam vaticinia: deinde fabulosa esse, quae de vigilibus, ad sepulchrum Christi a Iudaeorum magistratibus constitutis, tradi solent: denique historicorum Diuinorum de celebrato illo euentu narrationes inuicem sibi esse contrarias. In his argumentis explicandis tam mala fide tamque impudenti animo versatus est, vt quicumque commentationem sine partium studiis expenderit, vana atque inania verba a nostro proferri, facile intelligat. Nihilominus dignam habuerunt, quam sedulo confutarent:

SAM. CHANDLERVS in libello: *witnesses of the resurrection of Iesus re-examined and their testimony proved intirely consistent*, Londini ann. CIↃIↃCCXLIV. 8.

GILB. WESTIVS, nobilissimus vir, proximo anno ex hac vita delatus, in *observations on the history and resurrection of Iesus Christ*, vtilissimo libello, qui Anglice prodiit Lond. ann. CIↃIↃCCXLVII. 8. Germanice a cel. SVLZERO conuersus Berolini ann. CIↃIↃCCXLVIII.

THOM. SHERLOCKIVS in *the sequel of the trial of the witnesses of the resurrection*, Londini ann. CIↃIↃCCXLIX. 8. Germanicam opusculi interpretationem ven. MEYENBERGIO debemus, Hanou. ann. CIↃIↃCCLV.

IOANNES IACKSONVS in *an address to Deists*, Londini ann. CIↃIↃCCXLIV. 8. Addi debet

debet libellus *ἀνώνυμος*, *the reſurrection cleared*, quo idem argumentum tractatur.

§. XXXVI.

Quamuis multa praeclare apteque dicta fuerint a doctis viris, quos laudauimus, noluit tamen erroneam, quam ſemel amplexus erat, ſcriptor vafer deponere ſententiam; ſed denuo eam nonnullis exiguae molis parisque momenti libellis defendere ſtuduit. Quorum quidem notitiam ſi quis cupiat habere, ablegamus eum ad ven. ALBERTI; * qui ſtudioſe illos percenſuit atque adiecit, eumdem alios ſimilis generis libellos compoſuiſſe, quibus modo vniuerſe contra argumenta ſanctiſſimae religionis, quae ex vaticiniis et miraculis peti ſolent, acriter diſputat, modo fidem auctoritatemque ſingularium codicis ſacri particularum, verbi cauſſa, hiſtoriae Ioſephi patriarchae, rerum a diuo Paullo geſtarum, infringere ſtudet. Breuiter quoque notare liceat nomen SAMVEL. PARVISHII, qui ex bibliopolio progreſſus, ineptum conſcripſit libellum: *an enquiry into the Iewish and Chriſtian religion*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLVI. 8. deiſticis iure ſuo adnumeratum.

§. XXXVII.

Nec veremur, ne iniuriam, quis putet, inferri a nobis IOANNI GILBERTO COOPERO,

* In *den Briefen von Engl.* p. 424. ſqq.

RO, quod in deiſtarum cenſum illum referre, libet. *Vita* enim *Socratis*, (*the Life of Socrates collected from the memorabilia of Xenophon cet.*) cuius ſecunda editio Londini ann. CIↃIↃCCL. 8. Gallica verſio Amſtelod. ann. CIↃIↃCCLI. 8. prodiit, tot tantaque peruerſae, de virtute naturali ac ſapientia iudicandi, rationis exhibet ſpecimina, vt certiſſimum ſit, auctorem horum commentariorum et contra ea, quae credi a nobis cupit religio reuelata, et contra Chriſtianam morum integritatem, maxime contra caeleſtia, quae illa commendat, ad comparandam virtutem praeſidia ſimul pugnare. Illuſtre certe praebuit impietatis exemplum, cuius ii omnes ſuſpecti ſunt, qui homines, a cognitione verae religionis prorſus alienos, nimiis exornant virtutis laudibus; neque expendunt, neminem illis dignum eſſe; niſi Diuina gratia animum ſuum purgari, paſſus fuerit. Idem ſtatui oportet, de *vita Pythagorae*, itidem Londini ante paucos annos eodem conſilio in lucem publicam emiſſa.

§. XXXVIII.

Minus recte de religione vniuerſa; peius tamen de reuelata paucis abhinc annis in Scotia philoſophari coepit DAVID HVMIVS, qui variis monimentis haud mediocrem ingenii et doctrinae laudem eſt conſequutus eamque adhuc auget. Sentiendi licentiam ſemper ſectatur; nec vbiuis quae vera; ſed quae noua et aliorum iudiciis oppoſita, ſtudioſe conquirere videtur. Si-

ue rerum gestarum excutiat memoriam; siue de ciuilibus institutis reique publicae salute differat; siue denique de rebus sacris dicat sententiam, semper audies eum inaudita et ingenioſe excogitata: saepius vera et praeclare dicta: nonnumquam sibi contraria et absurda proferentem. Deismi, saltem odii erga reuelatam religionem, suspicionem sibi ipse adtulit, editis nonnullis libellis, quibus varias quaestiones religiosas tractauit. In vnum corpus quasi collecti et quatuor voluminibus comprehensi hacque inscriptione: *essays and treatises on several subiects* Londini ann. CIↃIↃCCLIII. 8. in lucem publicam prodiere. Ex his dissertationibus eae inprimis ad hunc locum spectant, quibus de intellectu humano, de miraculis aliisque rebus philosophicis disputauit. *

§. XXXIX.

Excerpere, nobis liceat, nonnullas *Humianas* sententias, vt iudicent lectores, num clarissimo viro iustum locum adsignauerimus:

I. Primarius HVMII error is est, quod scepticorum opinionem, nihil a nobis posse certe cognosci, omni opera commendat omnesque veritatis perspiciendae et diiudicandae leges tolle-

re

* Exstant maximam partem in *volumine secundo* laudatae collectionis Anglicanae. Germanicam illius versionem Hamburgi ann. CIↃIↃCCLV. ediam esse, nemo, credimus, ignorat.

re ſtudet. Licet id philoſophis relinquendum eſſe videatur; neceſſe tamen fuit, vt idem a nobis notaretur, maxime quia ipſe hac doctrina ad impugnanda diſciplinae Chriſtianae capita primaria vſus eſt. Refert quoque, ſcire, quibus argumentis id aliis perſuadeat. Haec quidem breuiter ita explicari queunt, ſeruatis ſcholaſticorum formulis. Quicquid homo cognoſcit, cognoſcit a poſteriori. Omnis cognitio a poſteriori oritur ex concluſione ab effectu ad cauſſam. Cognoſcit ergo homo, eſſe relationem inter cauſſam et effectum; ſed idem eſt, quod cognoſcit a poſteriori. At nulla datur cognitio rerum certa a poſteriori. E. nulla exſiſtit cognitio certa.

II. Quamuis homo recte perſpiciat, plures res inter ſe cohaerere, v. c. vinculo loci, temporis; ipſum tamen nexum, qui inter illas intercedit, numquam perſpicit.

III. Nemo perſpicit, rem certe exiſtere, niſi modum poſſibilitatis, per quem quaeque id eſt, quod eſt, cognoſcat.

IV. Quare neque ab iisdem cauſſis ad eosdem effectus recte concluditur.

V. Plures cauſſae poſſunt eſſe vnius effectus. E. peccant, qui ab vno effectu ad vnam cauſſam concludunt. *

* Ne quis miretur, nos hoc dogma, quod omnibus philoſophis probari videtur, inter errores *Humia-*

nos

VI. Si ſcimus cauſſam effectus, huic cauſſae plures, nefas eſt, tribui adfectiones; quam quae ex effectu deducuntur:

VII. Poſita igitur exiſtentia Dei, inepte tamen de illo cogitantur attributa, quae non *ἀμέσως* ex creatione mundi intelliguntur:*

VIII. Incerta ergo eſt doctrina de prouidentia Dei; immo caret omni vtilitate:

IX. Figmenta ſunt, quae de praemiis et poenis vitae futurae narrantur; imprudenter tamen agunt, *nos* referre, liceat addere, virum doctum haud obſcure hac lege metaphyſica abuti ad infringendam demonſtrationem exſiſtentiae Dei, quae a contingentia mundi repetitur, apertius vero, ad negandum maximum illud diſcrimen inter cauſſas phyſicas et morales adeoque ad proſcribendam ex mundo omnem libertatem. Generatim certum eſt, HVMIVM aut vere ignoraſſe; aut noluiſſe ſcire, quid interſit inter cauſſam neceſſariam et liberam.

* Perſpicuitatis cauſſa addidimus formulam: *non ἀμέσως*. Directe quidem haec ab *Humio* in attributa moralia Dei dicta ſunt. Veremur, ne hoc principium, ſi coniungatur cum ceteris placitis de cauſſalitate, manifeſto ſcepticis, cetera quoque attributa Dei tollantur. Patet vero, corrumpi veram alioquin doctrinam, talem eſſe effectum, qualis eſt cauſſa; ſiue potius, effectui aequalem eſſe vim cauſſae. Diſtinguatur inter cauſſam liberam et neceſſariam, tunc facilis erit diſputatio. Quis feret hoc ratiocinium: Caius ſcribit latine; E. nequit ſcribere Gallice?

agunt, qui credulae plebi illorum ſpem, harum metum eripere velint:

X. Miraculum factum eſſe, nullum exiſtere poteſt teſtimonium fide dignum;

XI. Nec experientia propria quis cognoſcere poteſt, num ſit aliquid per miraculum factum; nec ne.

XII. E. plane nulla exiſtere poſſunt miracula.

Huius generis ſunt ratiocinia philoſophi noſtri, quae eo magis aliorum indignationem excitarunt; quo maiorem acuti ſcriptoris verique ſtudioſi prae ſe ferre ſolet ſpeciem. Inter eos, qui data opera in confutandis his nugis verſati ſunt, maximopere commendantur:

GVILIELMVS ADAMS, qui edidit: *an eſſay in anſwer to Mr. Hume's eſſay on miracles*, ſecunda vice Londini ann. CIↃIↃCCLIV. 8. typis exaratum:

RVTHERFORTHIVS in *the credibility of miracles*, Cantabr. ann. CIↃIↃCCLI. 8.

IOANN. LELANDVS, qui multa cura contra HVMIVM vol. II. *notitiae de controuerſiis deiſticis* diſputauit.

§. XL.

HENRICVS vicecomes BOLINGBROKIVS itidem hoſtibus religionis reuelatae acceſſit. Nobiliſſimo genere ortus ſub initium huius ſeculi ab Anna regina grauiſſimis reipublicae muneribus admotus fuit; ſed iis male adminiſtratis, a Georgio I. ex patria eiectus, in Gallia paucis ab-

hinc annis vitam cum morte commutauit. Floruit summa ingenii laude, nec caruit omnibus doctrinae politioris ornamentis, licet, quae reliquit, monimenta satis testentur, saepius eum in summa rerum versari ignorantia, de quibus mirifica audacia sententiam dicit. Dolendum, animum eius a Christianis sacris tam fuisse alienum, vt quaecumque ad ea exstirpanda facere ipsi videbantur, argumenta, non solum falsa, sed saepe etiam absurda conquireret. Quo factum est, vt haud raro ea quoque impugnaret, quae ipsa ratio sana de Deo rebusque Diuinis et nostris officiis docet, sicque suo èxemplo confirmaret, tam arcto vinculo religionem reuelatam cum naturali esse coniunctam, vt a sapiente homine numquam diuellatur, et inter deisticum furorem et insaniam atheorum aut nihil; aut certe parum interualli intercedere.

§. XLI.

Animi sui sensa de auctoritate verbi Diuini primum expressit BOLINGBROKIVS *litteris de re historica.* Praestantior illarum editio, hac inscriptione praemissa: *letters on the study and use of history*, lucem vidit Lond. a. CIↃIↃCCLII. 8. Quae licet satis multa, a veritate maxime aliena, continerent, longe tamen peiora inueniuntur in *operibus* eius, a DAVID. MALLETO iunctim editis, postquam ipse BOLINGBROKIVS ex hac vita decessit. Quinque volumina

na illorum, et forma quarta, et octaua Londini ann. CIↃIↃCCLIV. typis exarata fuere. Praeter epistolas de historiarum studiis et vsu inprimis notari oportet: *a letter occasioned by one of Archbishop Tillotson's sermons:* * *letters or essays addressed to Alexander Pope* ** *et fragments, or minutes of essays.* ***

§. XLII.

Horrendae vero sunt criminationes, a BOLINGBROKIO contra Christianam religionem prolatae et absonae sententiae, quas ipse de rebus Diuinis mente concepit. Vtriusque generis nonnulla adferemus exempla:

I. Omnis veteris historiae fides dubia est et fallax, vtilitas nulla:

II. Iudaicarum vero rerum memoria plane incerta et fabulosa:

III. Lex historiae cognoscendae primaria haec esto: quaecumque narrantur, a nostra experientia aliena: nostris ideis contraria, et naturae viribus maiora, ea certe omnia ficta sunt. Nulla ergo miracula vnquam facta sunt:

IV. Historia Mosaica pari loco cum fabula Quixoti habenda:

V. Impium est cogitare, libros sacros esse θεοπνεύστους, quia sapientiae, potentiae ceterisque Dei attributis contradicunt:

* Vid. BOLINGBROKII *Works* vol. III. p. 255.
** Vol III. p. 309. et Vol. IV. *** Vol. V.

VI. Religionis Christianae veritas nequit demonstrari; siquidem Romanenses, scripturae sacrae effata perspicua: Protestantes, traditiones fide dignas esse, negant:

VII. Doctrina de humano genere, cum Deo per sanguinem Christi, pro illo effusum, reconciliato, non solum omnibus, quae de Deo recte praedicantur; sed ipsi etiam eius existentiae adversatur:

VIII. E. theologi Christiani orthodoxi aeque athei sunt; ac illi, qui aperte Deum esse, inficiantur:

IX. Hominis mente capti est, credere, se habere ideas abstractas; aut quidquam a priori cognoscere:

X. Existit Deus; sed nulla ipsi competunt attributa moralia; E. insaniunt, qui postulant, vt homines virtutis Diuinae exempla imitentur:

XI. Deus condidit mundum legesque naturae constituit; sed his latis, nullam rerum creatarum, nisi forte integrarum gentium rerumque publicarum, gerit curam:

XII. Anima non est substantia, a corpore diuersa:

XIII. Doctrina de vita animae post mortem redituque corporis et praemiis poenisque futuris prorsus vana est et nugatoria; plebi tamen, in obsequio retinendae, apta:

XIV. Lex naturae praescribit officia, quae quisque ex praesenti rerum humanarum statu colligit:

XV.

XV. Non ſolum eadem clara et perſpicua eſt; ſed etiam abſoluta et perfecta, ita vt vltteriore Diuinae voluntatis reuelatione non opus ſit:

XVI. Libri noui teſtamenti duplex exhibent euangelium: alterum Chriſti, quod a lege naturae et theologia Platonica nihil differt; alterum Paulli, quod abſurda, friuola et in Deum iniuria tradit dogmata, ex ſcholis cabbaliſticis deducta.

§. XLIII.

Cauſſam veritatis contra BOLINGBROKIVM agendam ſuſceperunt:

ROBERT. CLAYTONVS in *vindication of the hiſtories of the old and new teſtamcnt*, Londini ann. CIↃIↃCCLIII.

FERDINAND. WARNERVS in *Bolingbroke; or a dialogue on origin and authority of revelation*, Londini ann. CIↃIↃCCLIV. 8.

IOANNES LELANDVS tum in *reflections on the ſtudy and uſe of hiſtory, eſpecialy as far as they relate to Chriſtianity and the holy ſcriptures*, Londini ann. CIↃIↃCCLIII. 8. tum in *view of the principal deiſtical writers*, vol. I. epiſt. XIV. et vol. II. epiſt. V. ſqq.

IOANNES HILLIVS in *thoughts, concerning God and nature*, Lond. ann. CIↃIↃCCLV. 4.

CAROLVS BVLCKLEIVS in *notes on the philoſophical writings of L. Bolingbroke*, Loudini ann. CIↃIↃCCLV. 8.

GVILIELMVS PARCKERVS in *two discurses befor the universsity of Oxford*, Londini anno CIↃIↃCCLV. 8. Quibus addi possunt: HERVEII *remarcks on Lord Bolingbroke's letters*, Lond. ann. CIↃIↃCCLIV. 8. a *view of L. B. philosophy*, Lond. ann. CIↃIↃCCLV. 8. et *dissertatio de consensu Christi et Paulli, a criminatione Henrici vicec. Bolingbrokii, vindicato*, sub nostro praesidio nuper in hac academia habita. *

§. XLIV.

Licet numerus illorum, qui in Anglia contra religionem reuelatam pugnarunt, a nobis augeri queat;

* Praeter hos, a nobis enarratos, libellos, in Anglia typis descriptos, alii quoque magno numero prodierunt. Binos tantum addimus, quos quidem veritati periculum adferre posse, non negandum, num vero id fieri voluerint illorum auctores, dubium est. Alter est a IO. HILLIO scriptus: *Lucina sine concubitu*, Anglice editus Londini anno CIↃIↃCCL. et saepius repetitus itemque in linguam Gallicanam et Germanicam translatus. Alter, auctore DODSLEIO, bibliopola Londinensi, ita inscriptus est: *the oeconomy of human Life*, et repetita vice, sub titulo *Bramini* Gallice et Germanice conuersus. De vtroque vid. BAVMGARTENII *Nachr. von merkw. Büchern* vol. I. p. 46. sqq. Nuperrime in Anglia prodiit similis dignitatis libellus: *heaven opened to all men*, contra quem celeberrimus Vitebergensium theologus, summe venerabilis IOACH. SAM. WEICKHMANNVS disputauit in elegantissimae commentatione: *caelum Christo nascente, cunctis hominibus apertum.*

queat; consultum tamen videtur, ne nimis longa sit nostra disputatio, huic parti imponere finem et ad Gallos progredi. Inter hos non dubitamus, primum locum adsignare FRANCISCO VOLTAERIO, nobili poetae, qui post varios casus et vtriúsque fortunae vicissitudines, otio se dedit in Heluetia. Exstat illius breuis *epistola ad Vraniam*, Gallice scripta et metri legibus adstricta. Qua non solum aperte traduntur errores Spinozistici; sed etiam sanctissima doctrinae Christianae capita puerili modo irridentur. Equidem non ignoramus, VOLTAERIVM se illius poematis auctorem esse negasse; sed norunt omnes, ita ferre VOLTAERII ingenium, vt quae aliis displicere intellexerit a se profecta esse, mira audacia inficietur. Nolumus quidem alia loca notare, quae passim in carminibus eius offendunt aures pias verique et virtutis studiosas, religioni Christianae numquam profutura, fabulam tamen non possumus tacere, quae proximo anno Parisiis prodiit, inscriptam: *la pucelle d'Orleans. Poeme diuise en quinze livres.* Vix credibile, ab homine, rationis non experte, quicquid sacrum, quidquid honestum, quicquid decorum est, tanta petulantia violari potuisse, quantam spirat carmen, aeternis tenebris dignum. *

§. XLV.

* Vid. BAVMGARTENII *Nachricht von merkw. Büchern*, vol. VIII. p. 544. sqq.

§. XLV.

Reuelatae doctrinae oppositae quoque fuere *epistolae de essentia religionis*, eo magis hoc loco commemorandae, quo certius esse videtur, doctam virginem, HVBERI, mercatoris Lugdunensis filiam, illas scripsisse. Mysticis disciplinis dedita arteque eleganter scribendi, instructa, varia, nulla facta mentione sui nominis, opuscula in lucem emisit, quae ad morum doctrinam spectant. Sensim a veritate aberrauit grauiusque lapsa est, quum typis committeret: *letters sur la religion essentielle à l'homme, distinguee de ce qui n'en est que l'accessoire*, quarum partes binae Amstelod. ann. CIↃIↃCCXXXVIII. 12. lucem viderunt publicam; sed noua prodiit illarum editio, in quatuor volumina diuisa. Negari non potest, moderate et sine conuiciis proponi sententias erroneas et ad fallendos incautos omnino adcommodatas. Cuius generis esse, putamus:

I. Argumenta, quae nituntur tum aliorum testimoniis; tum miraculis, vbi contra hostes reuelationis sit disputatio, nullius sunt vsus:

II. Facultas naturalis, hominibus insita, vera a falsis discernendi, sufficit ad commendandam euangelii praestantiam: sed num diuinitus sit reuelatum, relinquitur in dubio:

III. Religionis obiectum est inuisibile: E. non potest homo ad tam certam illius cognitionem peruenire, quam certa aliarum rerum est notitia:

IV. Re-

IV. Religio essentialis societasque ciuilis iisdem continetur principiis:

V. Talis iustitia Dei, qualis a plerisque solet concipi, aut describi, non exsistit. Poenae quidem admitti possunt naturales, sed vix vllae positiuae, vtraeque ad felicitatem hominis comparatae:

VI. Falsum est, religionem reuelatam naturali praestare, siquidem illa ad hanc perinde accedit; atque educatio ad facultates liberorum naturales:

VII. Licet ex possibilitate atque vtilitate reuelationis concludi queat, Diuinum codicem a Deo esse profectum; nihilominus continet res *puriles*, *absurdas*, *sensui communi contrarias et aperte iniustas*:

VIII. Mysteria tuto possunt ignorari, non negari:

IX. Doctrina de fide iustificante non potest intelligi:

X. Aeque errant, qui bona opera; ac qui satisfactionem Christi eiusque imputationem caussam esse volunt salutis aeternae impetrandae. Contra has litteras disputarunt IO. GVSTAV. REINBECKIVS, FRANC. DES ROCHES, celeberrimus IOANN. IAC. BREITINGERVS et ven. IO. IOACH. GOTTL. AMENDE. *

§. XLVI.

* Vid. BAVMGARTEN. loc. cit. vol. I. p. 104. sqq. et vol. V. p. 363.

§. XLVI.

In grauissimos errores de reuelatione Diuina lapsus est DIDEROTIVS, mathematicus et medicus Parisiensis, *encyclopaediae* opere illustris. Quum opusculis, quibus erroneas suas sententias protulit, nomen suum praefigere, caute neglexit, omnia, quae illi adscribi solent, vere ab ipso fuisse exarata, certe adfirmare non audemus. In his vero locum obtinent:

I. *Pensées philosophiques. Piscis hic non est omnium.* Hagae comitum ann. CIↃIↃCCXLVI. 12. Adfercimus ex his cogitationibus philosophicis nonnullas, vt iudicent lectores, num philosophi sit, ita cogitare. Doctrinam de iustitia punitiua Dei ideo repudiat, quia fieri possit, vt homines ad id adducat, vt nolint exsistere Deum. Si necesse sit, vt admittatur, sufficere, credit, poenas temporales; neque opus esse, fingere aeternas. Superstitiosi esse, credere reuelationem; hinc neque atheum felicius confutari; quam a deista. Nihilominus nec argumenta philosophica, arbitratur, apta esse ad conuincendum erroris hominem, qui Deum esse, negat; immo nihil absurdi esse in hac sententia, mundum casu fortuito potuisse oriri: optandum esse, vt atheismus scepticus omnium animos impleat: Diuinam legationem hominis non ex miraculis; sed ex consensu doctrinae cum opinionibus vulgi iudicari debere: Diuinam scripturae sacrae originem non posse probari, quia non sit impossibile, vt historici

rici vniuerſum mundum fallant: miracula inter omnes gentes exſtitiſſe, quae impium ſit, negare; ſtolidum, credere: ergo ea neminem mouere poſſe, vt religioni cuidam accedat, cuius veritas ſolis argumentis demonſtretur, cetera. Contra hunc libellum dimicarunt Gallus quidam * et vir quidam inter noſtrates doctus, qui edidit: *die philoſophiſche Gedanken mit der Beyſchrift: dieſer Fiſch iſt nicht vor alle, vernünftig vnd chriſtlich beantwortet.* Hal. CIↃIↃCCXLVIII. 8.

II. *Les Moeurs. Reſpicere exemplar vitae morumque*, Amſtelod. ann. CIↃIↃCCXLVIII. 8. DIDEROTIVM ficto *panagii* nomine vſum eſſe, vix eſt, cur dubitemus. Multa in hoc opuſculo docte, ingenioſe atque elegantiſſime dicta eſſe, nemo inficiabitur; ſed dolendum, eſſe quoque illius loca non ſolum falſa; ſed etiam impia. Ea inprimis notantur, quae de cultu Dei externo: de ſufficientia legis naturalis viriumque humanarum, illi praeſtandi obſequium: de morte ſtatuque hominum poſt mortem, agunt. Bene contra haec diſputauit ven. IO. MELCH. GOEZIVS in *der Prüfung einiger Stellen aus dem bekanten Buch: les moeurs.* Hal. ann. CIↃIↃCCCL. 8. et inprimis ea confutauit, quae de praeſidiis contra metum mortis DIDEROTIVS philoſophatus erat:

III. *Lettre ſur les aveugles a l'uſage de ceux qui voyent*, Londini ann. CIↃIↃCCXLIX. 8. Me-

* Vid. *biblioth. raiſonnée* tom. XL. p. 112.

Memoratur a nonnullis alia fortasse eiusdem opusculi editio, cuius haec est inscriptio: *lettre d'un esprit éclairé aux aveugles de ce siecle.* Scepticismo ita fauet haec epistola, vt omnia fere, quae de Deo nostrisque officiis vel natura duce; vel reuelatione cognoscuntur, dubia atque incerta relinquantur. Simillima huic est *epistola de surdis*, quae num ab eodem auctore fuerit exarata, ignoramus.

§. XLVII.

Cadit quoque iustissima deismi suspicio in IOANNEM MARTINVM DE PRADES, presbyterum Parisiensem, nunc in Silesia superstitem, maxime ob *theses*, quas in Sorbonicae schola d. V. Nou. CIↃIↃCCLI. publice defendit. Editio prima, Parisiensis, rarissima est, ab ipsa Sorbona et parlamento prohibito; sed Lipsiae cura beati KAPPII denuo fuit typorum formis descripta. Post haec ipse auctor nouam editionem, addita versione Gallica, Amstelodami prodire iussit. Grauissimum tulerunt contra has *theses* theologi Parisienses iudicium et licet diffiteri nolimus, eos nonnumquam sententias PRADESII iusto iniquius cepisse huncque saltem a suspicione materialismi posse absolui; sunt tamen inter damnatas propositiones, quae nullam admittunt excusationem. Etenim non solum perturbauit ac manifesto corrupit certissimas iusti, aequi, boni, mali, aliasque moralis doctrinae notiones, finesque, quibus distant religio naturalis

turalis et reuelata, aperte sustulit; sed etiam perueršse sensit de integritate sacri codicis auctoritateque historiae Mosaicae veraque miracula a Christo facta esse, impudentius negauit. Praeter Parisienses, alii quoque sacrorum praesules Gallicani PRADESII erroribus se forti animo opposuere. Quae hanc ob caussam ab illis litteris fuere consignata, eorum omnium integra exstat collectio, quae ita est inscripta: *instruction pastorale de Monseigneur l'Eveque d'Auxerre sur la verité et la saintеté de la religion, meconnue et attaquée en plusieurs chefs par la these, soutenue en Sorbonne le 18. Novembre 1751. Seconde Edition precedée d'une preface de l'editeur et suivie de tous les ecrits qui ont été fait contre la dite these, de plusieurs pieces intereſſantes sur les miracles et d'une lettre sur l'apologie de M. de Prades*, Montealban. CIↃIↃCCLIII. 8. Caussam suam egit PRADESIVS ediditque *apologiam*, itidem Gallice scriptam, Amstelod. ann. CIↃIↃCCLIII. 8. Sed male sibi consuluit, partem quod vere nihil adtulit, quod ad liberandum eum a deismi (quem argute, sed sine caussa ab atheismo cupit distingui) suspicione valeat; partem quod pristinos errores denuo produxit eosque fortasse nouis auxit. Etenim constanter credit, reuelatam religionem eamdem esse cum naturali, magis enucleata: religionem patriarchalem nonnisi fuisse naturalem; codices librorum Mosaicorum ebraeum, graecum et samaritanum esse eiusdem

dignitatis; annorum vero numeros in singulis a recentiore manu adscriptos: Mosen Israelitis nulla praemia: nullas poenas; nisi temporales nunciasse: miracula; nisi praedicta fuerint, diuinam doctrinae originem non probare et alia huius generis. Addimus aliud opusculum, quod PRADESIO fuit oppositum: *court examen de la these de Mr. l'abbe de Prades*, Amstelod. CIↃIↃCCLIII. Composuit id scriptor, protestantium partibus addictus; nec contemnenda dedit doctrinae et ingenii specimina, nihilominus recte prudentioribus displicent, quas de ideis innatis et de miraculis passim prodit, sententiae. PRADESIVM, publicis litteris, suos errores reuocasse, vt pateret ipsi aditus ad sacrum munus, ei in Silesia creditum, omnes norunt. *

§. XLVII.

Memoratur quoque GESNARDVS quidam, qui scripsit: *l'ecole de l'homme ou parallele des portraits du siecle et des tableaux de l'ecriture sainte.* Tres exstant huius opusculi partes, editae Lutetiae ann. CIↃIↃCCLII. 8. Fingit quidem, se in eo laborare, vt doctrinam morum, in scriptura sacra traditam, aliis commendet; sed facile patet, eum irridere oracula Diuina: immo eo progredi-

* Vid. *act. historico-ecclesiast.* vol. XVI. p. 106. sqq. et BAVMGARTENII *Nachricht von merkwürdigen Büch.* vol. III. p. 76. 159. 169. et vol. IV. p. 173.

greditur, vt animam materiae expertem esse, neget et contra Diuinam scripturam eiusque originem auctoritatemque pugnet.

§. XLVIII.

Maior huius generis librorum numerus in Belgio prodiit, vbi maior sentiendi et cogitata typis committendi libertas permissa est. Possemus quidem nonnihil de BEVERLANDI ineptiis, in Gallicam et Germanicam linguam traductis sicque denuo e tenebris reuocatis, adducere; sed satis est, eas commemorare. Primum potius locum teneat SIMON TYSSOT DE PATOT, qui in Dauentriensi schola mathematicas disciplinas docuit. Nostra enim aetate nemo dubitat, scripsisse eum librum: *voyages et avantures de Jaques Massé*, qui Burdigali ann. CIↃIↃCCX. 8. prodijsse fertur. Itinera illa eo consilio ficta sunt, vt Christianae doctrinae placita risui exponeret. Inserta illis est *fabula de apibus*, de qua supra nos dicere, meminimus. Accedunt eius *epistolarum selectarum*, Gallice exaratarum, volumina bina, Hag. com. ann. CIↃIↃCCXXVII. 8. quibus similima loca, in reuelationem Diuinam iniuria, occurrunt. Quanti momenti sint illius criminationes, ex nonnullis eius sententiis, a nobis enarrandis, quisque iudicabit:

I. Scriptura sacra est fabula Romanensis, male excogitata; nisi dixeris, narrationes veteris testamenti nihil continere; nisi typos, figuras, allegorias, vmbras rerum noui testamenti:

II. Impossibilis est Diuina reuelatio:

III. Morte homo desinit esse. E. post mortem nulla exspectanda voluptas:

IV. Nec fieri potest, vt corpora ad pristinam vitam redeant:

V. Christus nudus homo fuit; nec fecit miracula; sed quae de resuscitatione mortuorum et sanatione aegrotorum enarrantur, μεταφορικῶς accipienda:

VI. Salutare est, religionem cuiuscumque ciuitatis, in qua viuere nos oportet, amplecti:

VII. In scriptura sacra continentur multa, quae certissimis mathematicorum principiis et demonstrationibus adeoque ipsi experientiae contradicunt:

VIII. Probabile est, animam esse mortalem:

IX. Saltem corrupta est chronologia biblica mundusque longe antiquior est:

X. Longaeuitatem patriarcharum negat cursumque admittit solis celeriorem, vt spatium temporis breuius fuerit, quod annus conficit. *

§. XLIX.

Si quis alius, pessimus est liber, qui Amstelodami prodiit, hanc prae se ferens inscriptionem: *nouvelles libertés de penser*, ann. CIↃIↃCCLIII. 8. Quicumque illius sit scriptor, certum est, eum po-

* Vid. ven. BAVMGARTENII *Nachrichten von einer hallischen Biblioth.* vol. III. p. 124. sqq.

potiſſimum COLLINSIVM imitari: immo ſententiarum prauitate et criminandi licentia longe ſuperare. Quinque vero complectitur commentationes:

I. *Reflexions ſur l'argument de Mr. Paſcal et de Mr. Locke, concernant la poſſibilité d'une autre vie à venir.* Ridiculum fere argumentum opuſculi. Pugnat contra doctrinam Chriſtianam, maxime contra immortalitatem animae, quam ne poſſibilem quidem eſſe credit, hac vſus ratione, quod qui ſperat alteram vitam, ſe ipſum exponit animi perturbationibus, quae ex ſpe naſcantur, ideoque priuat quiete, qua fruitur, antequam de futura felicitate cogitauerit:

II. *Sentimens des philoſophes ſur la nature de l'ame.* Iterum potiſſimum in argumento de immortalitate animae verſatur, ita vt vtriusque partis rationes colligat: eas, quibus eam eſſe, demonſtratur, conuellat, contrariam vero ſententiam adprobet et commendet. Addit tamen nonnulla contra reſurrectionem Chriſti fidemque et auctoritatem librorum noui foederis:

III. *Traité de la liberté.* Libertatem hominis plane negat; nec mirum, ſiquidem ex iis, quae diximus, materialiſmo aperte addictus eſt:

IV. *Reflexion ſur l'exiſtence de Dieu et l'exiſtence de l'ame.* Exſiſtentiam Dei vere negat. En demonſtrationem. Quicquid non exſiſtit, non potèſt cogitari. A. mundus, ſi creatus eſt, ante creationem non exſtitit. E. nec a Deo potuit

tuit cogitari. Si Deus mundum creaſſet, Deus mundum cogitaſſet, antequam crearetur. A. impoſſibile eſt, vt Deus mundum cogitauerit antecreationem, E. nec creauit eum. E. nec exſiſtit:

V. *Le Philoſophe.* Commentatio ſimili modo eſt atheiſtica. *

§. L.

Haud minoris impietatis infamiam contraxit et inauditae petulantiae poenas dedit HAZFELDIVS, Germanus, qui maximam vitae partem in Anglia egit et Hagae comitum ann. CIↃIↃCCXLV. luci publicae expoſuit: *la decouverte de la verité et le monde detrompé, à l'egard de la philoſophie et de la religion, ſurtout à l'egard de la philoſophie, dont l'auteur donne vn ſyſteme entierement nouveau, qui developpe tous les myſteres les plus importans de la nature, ſi bien qu'il prouve l'exſiſtence de Dieu et l'immortalité de l'ame par demonſtration.* 8. Praeter haec, inſcriptio et fictum nomen *Veridici Naſſauienſis* equitis exhibet, et libellum a beato CHRISTIAN. WOLFIO adprobatum fuiſſe, memorat. Sed per mendacium hoc dici, illuſtris philoſophus publice declarauit. Magnus eſt numerus ſententiarum huius libri, quae in ſacrum codicem, viros Diuino ſpiritu actos, rempublicam Chriſtianam eiusque doctores iniuria tamque abſona ſunt, vt vere iudicauerint

* Vid. EVMDEM ibid. vol. II. p. 152. ſqq.

rint nonnulli, HAZFELDIVM numquam talia potuiſſe proferre; niſi amiſiſſet rationis vſum. En nonnullas:

I. Scripturam ſacram referre confuſionem Babylonicam; nec abſolutum religionis amplecti ſyſtema:

II. Scriptores illius magna adficere Deum iniuria, quum res narrant, quas credere, philoſopho ſit indignum, v. c. ſudorem Chriſti ſanguineum, lapſum angelorum:

III. Nullos eſſe malos genios, praeter theologos:

IV. Dogma de trinitate pugnare contra principia naturae, rationis et ſcripturae ſacrae:

V. Deum eſſe ens compoſitum:

VI. Quae de Chriſti miraculis et ſatisfactione narrantur, eſſe ficta. *

§. LI.

Eodem fere tempore Amſtelodami fortaſſe impius libellus in lucem emiſſus fuit, cuius duplex eſt inſcriptio: altera, *la vraie religion demontrée par l'ecriture ſainte traduite de l'Anglois de Gilb. Burnet*, Londini ann. CIↃIↃCCXLV. 12. altera, *examen de la religion dont on cherche l'eclairciſſement de bonne foi attribué à Mr. de St. Evremond.* Triuult. ann. CIↃIↃCCXLV. 12. Il-

 lius

* Vid. *acta hiſtorico-eccleſ.* tom. XIII. p. 432. et ven. KRAFTII *theol. Bibl.* vol. I. p. 672. ſqq.

lius auctor nec BVRNETIVS; nec EVREMONDIVS, quorum nominibus turpiter ad alios fallendos scriptor vsus est; nec VOLTAERIVS; aut VARENNIVS, quos nonnulli in suspicionem vocarunt; sed miles quidam in cohorte DEVIALII locum tenentis officio praepositus, cuius nomen erat DE LA SERRE. Ipse enim, Traiecti ad Mosam mense april. an. CIↃIↃCCXLVIII. antequam tristi supplicio vitam finiret, litteris, quas ipse iussit in lucem proferri publicam commisitque VERNEDIO, Gallicani coetus reformati in eadem vrbe pastori, declarauit, se quidem istum libellum composuisse; sed vere cognoscere, se impie egisse, atque ex animo, ad meliorem sententiam Dei gratia reuocato, detestari, quaecunque contra salutarem Christianorum doctrinam protulerit. Memorat praeterea, se binos alios libros relinquere, sua manu exaratos, quos flammis cupiat tradi. Illustre hic homo praebet exemplum et Diuinae benignitatis, qua ad rectam salutis viam reductus fuit, et virtutis Christianae religionis, quam sensit SERRIVS moribundus et laudabili exemplo commendauit. Ne discedamus a nostro differendi more, notabimus nonnullas illius opiniones peruersas:

I. Ea est religionis Christianae forma, vt qui ei addicti sunt, respondere nequeant profanis; aut Muhamedanis, si illos extremae superstitionis arguant;

II. Nullum fidei potest esse principium; quum

quum ratio parum prona sit ad fidem: E nulla est causa, cur sapiens quis credat:

III. Doctrina Christianorum de Deo rationi plane est contraria: v. c. scriptura sacra memorat iram et indignationem Diuinam, quamuis ratio doceat, nullos esse in Deo adfectus:

IV. Praestantia religionis aestimatur ex antiquitate, E. turpe est, augeri Christianam theologiam additamentis, quae antiquioribus fuere inaudita:

V. Quamuis certum sit, vires intellectus esse circumscriptas; fieri tamen non potest, vt ideo iis adsentiamur, quae non comprehendimus. Nulla ergo credi debent mysteria:

VI. Scriptura sacra non est a Deo inspirata; sed humani ingenii opus:

VII. Christus nec redemtoris; nec doctoris munere est functus: E. nec est talis Messias, qualem esse, nos quidem credimus:

VIII. Dogma de trinitate et de peccato originis rectioribus de Deo sententiis contradicit:

IX. Nec religio Christiana reip. adfert praesidia; sed potius detrimenta.

§. LII.

Quamuis haec, a SERRIO disputata, manifesto erronea et maxime impia sint; nihilominus imprudenti consilio Germanice fuere conuersa, addita confutatione, cuius exiguum esse iudicatur momentum. Prodiit enim: *die wahre Religion*

oder Religionsprüfung, aus dem Franzoesischen uebersezt und mit einer Widerlegung herausgegeben, Francof. et Lipſ. ann. CIↃIↃCCXLVII. 8. Maiori cura in conuellendis his nugis verſati ſunt:

IO. GEORG. PFOTENHAVERVS, qui in libello, quem EDELMANNI confeſſioni fidei oppoſuit: *vollſtaendige Widerlegung des edelmanniſchen Glaubensbekaentniſſes*, Viteb. ann. CIↃIↃCCXLVIII. XLIX. 2. vol. 8. contra SERRIVM diſputauit:

GEORG. FRIDERIC. MEIERVS in *der Rettung der Ehre der Vernunft wider die Freygeiſter*, Hal. ann. CIↃIↃCCXLVII. 8.

SIGISM. IAC. BAVMGARTENIVS in praefatione, qua ven. ANTON. FRID. BVSCHINGII *introductionem in epiſtol. Paulli ad Philippenſes*, Hal. ann. CIↃIↃCCXLVI. 4. exornauit. *

§. LIII.

Ex quo ARGENSIVS marchio ceperat, *epiſtolas Iudaicas*, *Chinenſes* et *cabbaliſticas* Gallice conſcribere, quae ſaepius quoque religioſos animos offendunt, ſeruum imitatorum pecus ſibi non temperauit, quin alias componeret huius generis epiſtolas. In his libellus: *Lettres Siamoiſes*

* Vid. *biblioth. raiſonnée* tom. XLI. part. 2. p. 475. ſqq. et *act. hiſtorico eccleſ.* vol. XI. p. 549. ſqq. add. cl. MASCHII *Betracht. über die Bekehr. des Hrn. de la Serre*, Hal. ann. CIↃIↃCCXLIX. 8.

ſes ou le Siamois en Europe, ann. CIↃIↃCCLI. 8. ineptiſſimus eſt. Ceteras vero impiarum ſententiarum multitudine et grauitate ſuperat collectio, quae binis voluminibus ann. CIↃIↃCCLII. prodiit, hoc praefixo titulo: *lettres Iroquoiſes*. Nullum fere eſt rerum obſcenarum genus, quas auctor non expreſſerit et laudauerit, nullum impudentiſſimarum obtrectationum, quas non aduerſus ſacram ſcripturam adhibuerit, ita vt non ſolum quae Diuinitus reuelata, ſed etiam quae natura honeſta et decora eſſe, cognoſcuntur, impugnet. * Mitius cenſendum eſſe, putamus, de MVRALTII *epiſtolis fanaticis*, itidem Gallice, Londini, vti inſcriptio falſo prodit, ann. CIↃIↃCCXXXIX. 2. vol. 8. editis. Quamuis enim omnino falſa ſint, quae de vſu rationis in rebus fidei prorſus reiiciendo praecipit, eaque incautos ad errores grauiſſimos perducere queant; ignoſcendum tamen eſt fanatico, fanaticas litteras ſcribenti. MVRALTIVM enim talem fuiſſe, nemo dubitabit, qui fata illius ſciuerit.

§. LIV.

Ad Germanos accedimus aegreque ferimus, patriam noſtram non liberam exſtitiſſe ab hoſtibus religionis reuelatae. Inter hos locum tenet

* Vid. BAVMGARTENII *Nachrichten von merkw. Büchern* vol. II. p. 450.

IO. LAVRENT. SCHMIDIVS. Qui postquam sacris litteris tum in Ienensi; tum Halensi musarum sedibus operam dedit, Verthemii comitum Loewensteinensium instruendorum discipulis politioribus cura ipsi credita fuit. At edita codicis sacri interpretatione, custodiae traditus fuit iussu augusti imperatoris Caroli VI. et ex hac elapsus in Belgium secessit. In Germaniam post aliquod spatium redux, Hamburgi commoratus est, deinde Brunsuicum euocatus, moribus puerorum nobilium praefectus fuit ibidemque paucis ante annis vitam cum morte commutauit.

§. LV.

Peruersas de religione reuelata sententias animumque, naturalistarum erroribus addictum, abunde declarauit, quum primam partem scripturae sacrae, qua libri quinque, a Mose conscripti, continentur, in Germanicam linguam translatam et praefatione obseruationibusque illustratam, in publicam lucem emitteret. Libri huius haec est inscriptio: *die goettlichen Schriften vor den Zeiten des Messiae Iesus. Der erste Theil, worinnen die Gesetze der Israeliten enthalten sind nach einer freyen Uebersetzung, welche durch und durch mit Anmerkungen erlaeutert und bestaetiget wird.* Werthemii ann. CIↃIↃCCXXXV. 4. Quamuis posthac nunciatum fuerit, ceteras huius versionis partes in Belgio cepisse typorum formis describi; euentus tamen huic famae non fuit consentaneus.

Alia

Alia vero exstant huius scriptoris monimenta, quibus interpretationem suam, immo grauissimos, quibus illa scatet, errores defendere, sibi sumsit. Pleraque ex his vna cum multis scriptis, contra hanc interpretationem compositis, ipse SCHMIDIVS in vnum corpus collegit edidit-que anno CIↃIↃCCXXXVIII. 4. Operi huic praemisit titulum: *Sammlung derjenigen Schriften, welche bey Gelegenheit des Wertheimischen Bibelwerks für, oder gegen dasselbe zum Vorschein gekommen sind, mit Anmerkungen und neuen Stücken aus Handschriften vermehrt herausgegeben.*

§. LVI.

Rerum, quae in hac versione codicis sacri reprehensae fuerunt, quod aperte ad euertenda Christianae religionis fundamenta faciunt, tria sunt potissimum genera. Primum maxime impia est praefatio, qua partim Diuinam codicis sacri originem haud obscure negat auctoritatemque, quae ei rectissime tribuitur, a simplicitate atque ignorantia Iudaicae gentis ortam; a Christianorum vero malitia et vtilitatis studiis confirmatam: a nonnullis, qui ingenio praeclare valuisse ipsi videntur, grauissimis argumentis impugnatam; neque haec ab amicis iusto modo confutata esse; neque vnquam confutare posse, aperte docet; partim certas interpretandi leges fert, quae ita comparatae sunt, vt omnia rationis humanae ac philosophiae Wolfianae iudicio subiician-

iiciantur: mysteria proscribantur ipsaque scriptura ad formam libelli metaphysici; aut dialectici redigatur. Deinde interpretatio ipsa non solum cum lingua, qua Deus vsus est, parum conuenit; sed etiam oraculis Diuinis infert vim eorumque sententias ab ipso spiritu sancto in libris posterioribus: v. c. foederis noui, quos quidem cum antiquioribus conferri, audacius vetat, declaratas, corrumpit. Hinc nulla deprehendes in Mosaicis libris, si SCHMIDIO eiusque versioni credideris, vestigia doctrinae de trinitate, de Messia futuro, de iustificatione. Denique offendunt sapientes piosque animos obseruationes, quibus oracula, scilicet, illustrauit. Nonnullae in his manifesto sunt pueriles, quum res explicant, quas nemo non intelligit; aliae vero impiae, ad confirmandos errores adcommodatae: fere omnes exhibent definitiones, maximam partem ex metaphysicis Wolfianis deductas, et ex his repetitas demonstrationes, vt nihil, credas, a Deo praecipi, quod a nobis pie excipiatur: sed omnia a magistro doceri et artificiose comprobari. Quae si iunctim considerantur, non potest fieri, quin verum habeatur iudicium, qui SCHMIDIVM inter hostes reuelationis religionisque Christianae, quae sine reuelatione nulla est; nec carere potest doctrina vaticiniisque Mosaicis, retulere.

§. LVII.

Vix vero liber lucem viderat, quum non solum praestantissimi viri ad defendendam sacram

rem

rem publicam ſumerent arma et eruditis commentationibus modo vniuerſe aduerſus Vertheimenſem diſputarent, modo ſingularia oracula, ab illo miſere deprauata, vindicarent; ſed etiam imperator Romanus, Carolus VI. et potentiſſimi imperii ordines ſolemni interdicendi formula ciues a lectione vſuque huius verſionis prohiberent. Singula monimenta quum ab aliis * multa cura fuere enumerata, eodem quidem labore ſuperſedere, conſultum eſt.

§. LVIII.

Iisdem erroribus, de quibus adhuc diſputauimus, capi ſe paſſus eſt CAROLVS AVGVST. GEBHARDI. Eum enim ſcripterem eſſe quatuor opuſculorum, reuelationi Diuinae oppoſitorum, nemo dubitat, quae his inſcripta ſunt titulis:

I. *Vernünftige Gedanken von dem Gebrauch der ſtrengen Lehrart in der Theologie, welche in der Geſellſchaft der Wahrheitsfreunde entworfen hat* A-x.

II. *Cogitationes rationales de vſu methodi ſcientificae in theologia reuelata, quas iudicio theologorum humaniſſimē ſubmittit auctor* A-x. Amſtelod.

* Vid. GVIL. ERN. BARTHOLOMAEI *acta hiſtorico-eccleſ.* vol. I. II. III. et IV. IO. NIC. SINNHOLDII *ausführliche Hiſtorie der verruffenen ſogenannten Wertheimiſchen Bibel*, Erfurt. ann. CIↃIↃCCXXXIX. 4. et ven. patris *Einleitung in die Religionsſtreitigkeiten der E. L. K.* vol. V. p. 1276. ſqq.

ſtelod. ann. CIↃIↃCCXLIII. 8. Idem plane eſt ſcriptum cum Germanica memorata commentatione; nonnullis tamen additamentis auctum.

III. *Vernunftmäßige Betrachtungen der übernatürlichen Begebenheiten, ausgefertiget von einem Freunde der Wahrheit*, Amſtelod. CIↃIↃCCXLII. 8.

IV. *Drey Geſpraeche über wichtige Wahrheiten*, ann. CIↃIↃCCXLIV. 4. Opuſcula haec Berolini typis fuere deſcripta; ſed regio mandato prohibita.

§. LIX.

Quamuis eorum auctor veritatis ſtudioſus et religionis Chriſtianae, ab hoſtibus vindicandae, cupidus videri velit; certum tamen eſt, animum eius ab illa maxime alienum eumque ad euertenda eiusdem fundamenta ſtudia ſua infauſto irritoque conſilio adhibuiſſe. Inter alia docet:

I. Nulla argumenta ex rebus hiſtoricis recte repeti, quod vix probabilis illarum notitia nobis conceditur:

II. Reuelationem ne hypothetice quidem poſſibilem eſſe, demonſtrari poſſe:

III. Diuinos ſcriptores ſuae mentis cogitata ab his, quae Diuinitus illis fuerunt inſpirata, non potuiſſe diſcernere; nec vtraque a nobis poſſe diſtingui:

IV. Hinc accidiſſe, vt legerentur in illorum monimentis, quae Deo ſint indigna, v. c. Gen. VI, 6.

V. Ar-

V. Arbitraria ideoque falsa esse, quae de necessitate satisfactionis, Diuinae iustitiae praestandae, dicantur:

VI. Non posse fieri, vt Deus corpore indutus, hominibus adpareat:

VII. Corpus esse et simul infinitum, inferre contradictionem E. omnipraesentiam humanae Christi naturae esse impossibilem:

VIII. Operationes daemonum in corpora non posse fieri:

IX. Licet negari non possit, Deum posse miracula efficere; vera tamen miracula non existisse:

X. Hinc ex miraculis veritatem religionis Christianae minus recte probari:

XI. Mundum esse infinitum atque ex hac infinitudine intelligi, quaenam sit felicitatis futurae aeternitas. Illam enim in eo positam esse, somniat, vt pii perpetua ex vno systemate corporum caelestium in alterum in infinitum faciant itinera eorumque rationes scrutentur. Contra hos fabulas disputarunt: PETRVS AHLWARDVS, CAROLVS GOTTLOB HOFMANNVS, IO. ERN. SCHVBERTVS, IOANN. CHRISTOPH. STRADMANNVS, SIGISM. RVCKERVS, et nonnulli alii, quorum nomina latent. *.

§. LX.

* Vid. *act. historico-eccles.* vol. IX. p. 441. sqq.

§. LX.

Nouum irrisorum genus eadem fere tempestate in Anglia exortum et in Germania, feracе imitatorum terra, latius propagatum fuit. Partes enim quaedam historiae ciuilis, rerum maximo in proximo bello Austriaco gestarum, eo dicendi genere expositae prodierunt, quo Diuini historici vsi sunt *Chronicorum* libelli, hoc enim communi nomine insigniti sunt, aeque magnae impietatis, qua sanctissima saepe oracula integraque carmina turpiter profanata sunt; ac puerilis fere petulantiae specimina exhibent, ita vt in percensendis singulis nolimus nostram operam collocare. *

§. LXI.

Ex his abunde patet, seculi nostri hanc esse sortem, tristem certe et luctuosam, vt insipientum hominum, qui contra Deum pugnant, insignem protulerit numerum, sibique ipsi tam irati sunt, vt caelestibus beneficiis, per Christum nobis reparatis et in sacra scriptura oblatis, nolint perfrui; Diuina tamen benignitate excitatos fuisse viros pios doctosque, qui forti animo illis resisterent cauſſamque Christianae doctrinae feliciter tuerentur. Hos quidem quum nostrae aetatis ornamenta esse cupimus, pauca de illis addere liceat, quae cupimus lectorum posterorumque ineino-

* Vid. *acta histor. eccles.* vol. IX. p. 441. sqq.

memoriae ſedulo commendari. Etenim praeter illos, qui contra ſingulares Chriſtianae religionis hoſtes dimicarunt, nonnulli vniuerſe in eo ſtudia ſua collocarunt, vt veritatem Chriſtianae religionis demonſtrarent et a criminationibus obtrectatorum vindicarent. Ex noſtratibus maximopere commendantur: GOTTFR. OLEARII commentarius de *Ieſu vero Meſſia*, Germanice ſcriptus: ven. THEOD. CHRIST. LILIENTHALII volumina, quibus *bonam cauſſam Diuinae reuelationis* egit, itidem Germanica: PETRI HANSENII *religio Chriſtiana victrix*, itidem Germanice exarata et ven. IOANN. FRID. STEINII doctum opus Germanicum de *veritate, antiquitate et diuinitate librorum vtriusque foederis*, quibus integra collectio Gothana addi debet, cuius haec eſt inſcriptio: *Beytraege zur Vertheidigung der practiſchen Religion Ieſu Chriſti*; nec negligi atreus REIMARI libellus, non ſolum ad atheos, ſed etiam deiſtas maximam partem errorum ſuorum philoſophicorum conuincendos adprime aptus. Ex Reformatis IO. ALPH. TVRRETINI opus de *veritate religionis Chriſtianae*, a cel. VERNETO in Gallicam ſummam contractum et a cl. HEYDENIO Germanice conuerſum maximae eſt vtilitatis; ei tamen adiici poſſunt: ven. AVG. FRID. GVIL. SACKII *defenſa fidei Chriſtiana*, Germanice: DAV. MARTINII *religio reuelata*, *Gallice*; IO. IAC. ZIMMERMANNI diſſertationes de *cauſ-*

sis inualescentis incredulitatis, Latine scriptae. Anglorum scripta licet maximam partem fuerint celebrata; addi tamen cupimus GVIL. WARBVRTONI *Diuinam Mosis legationem*: illustris GEORG. LITTLETONII commentationem *de conuersione Pauli*: NATHAN. LARDNERI *fidem euangelicam*: PHIL. SCELTONI *deismum reuelatum*, opera ad vnum omnia Anglice composita et in Germanicam linguam translata. Ex Gallis denique inprimis laudatur abbas HOVTTEVILLIVS, ob *veritatem religionis Christianae, argumentis historicis demonstratam*, cuius itidem Germanica edita est interpretatio. *

SECTIO III.

DE CONTROVERSIIS CVM ANTITRINITARIIS.

§. I.

Accedimus ad id hostium verioris doctrinae genus, quod sanctissimo illius capiti de trinitate aduersatur. Quamuis hi omnes consentiant, non esse tres personas eiusdem essentiae Diuinae eiusdemque dignitatis; eos tamen aeque inter se ipsos discrepare aliosque grauius; alios leuius peccare,

* Plures commemorauit cel. BAVMGARTENIVS in dem *Abriß einer Geschichte der Religionspartheien* Z. XVI.

re, neminem, credimus, ignorare. Quare visum fuit, duplicem conscribendae huius operis nostri partis nobis ipsis dare legem: alteram vt de singulis antitrinitariorum sectis; siue earumdem amicis definite dicamus, primum quidem de Socinianis; aut si malis Photinianis: deinde Arianis: tum de Subordinatianis: denique de Sabellianis aliisque huius generis hominibus; alteram, vt eos trinitatis aduersarios, quos aut supra memorauimus; aut postea commemorandi locus erit, vbi de fanaticis exponemus, breuitatis studio adducti, praetermittamus.

§. II.

Quo laetior proximo seculo familiae Socinianae fuit fortuna, eo tristior est illius nostra aetate status. Latent, qui ex infelici genere supersunt, sed admodum pauci, in Prussia * et in prouinciis Brandenburgicis ** clandestinosque celebrant conuentus; sed spes est, futurum esse, vt sensim deponant errores. In Belgio maior certe illorum est numerus; sed quum facultas, publi-

* De his vide ven. FRID. SAM. BOCKII *histor. Socinianismi Prussici* §. XXI. p. 92. sqq.

** De confessione fidei, a Socinianis Brandenburgicis ann. CIↃIↃCCXVI. exhibita et in ephemeridibus Berolinensibus theologicis a REINBECKIO confutata, legas patris *Einleit. in die Religionsstr. ausser der E. L. K.* vol. IV. p. 318. Nonnulla disci possunt ex IORDANI *recueil de litterature, de philosophie et d'histoire* p. 44.

co religionis cultu fruendi, numquam illis est concessa, accidit, vt alii se Mennonitarum; alii Arminianorum; alii collegiantium coetibus adiungerent sicque inter hos dispersi, praeter doctrinas de trinitate Christique satisfactione, a formula religionis, a maioribus relicta, libere discederent. Anglia eique parens America plures alere dicitur colonos Socinianis erroribus addictos, licet seuerius in eos statuerit lex regia, a Georgio I. gloriosae memoriae ann. CIↃIↃCCXIV. lata. * Doctiores ex his aperte cum Arianis faciunt. Ceteri maximam partem inter Quakeros; aut baptistas nomen profitentur.

§. III.

Inter eos vero, qui publicis scriptis Photiniano more contra dogma de trinitate hoc seculo dimicarunt, facile eminet SAM. CRELLIVS, celeberrimi Socinianorum doctoris, IOANNIS CRELLII, nepos. Patre vsus est Christophoro luceinque vidit ann. CIↃIↃCCX et post varia itinera sedem fixit Amstelodami ibidemque ann. CIↃIↃCCXLVII. d. XII. Mai. ex hac vita migrauit. Num ante obitum errores suos deposuerit, quod nonnulli referunt, dubium relinquimus;

* Vid. *vnschuldige Nachrichten* ann. CIↃIↃCCXIV. p. 1011. sqq. Recentiore aetate nemo melius de hoc argumento scripsit cl. ALBERTI in *epistolis*, saepe memoratis, p 679. sqq. adde *acta historico-eccles.* vol. XIV. p. 252. sqq.

mus; certum vero est, inanem esse Hernhuthanorum fabulam, qua CRELLIVM ad partes illorum accessisse, iactant. Quamuis ipse Sociniani nomen repudiauerit; nec negare velimus, eum in nonnullis a maioribus suis dissentire; ipsius tamen monimenta loquuntur, retinuisse eum et latius propagare studuisse familiae suae de trinitate errores. *

§. IV.

Opuscula, quibus illa tradidit CRELLIVS sibique inter doctores *Socinianos* locum adquisiuit, haec sunt:

I. *Tractatus tres, quorum qui prior Ante-Nicenissmus dicitur, is exhibet testimonia patrum Ante-Nicenorum: in quibus elucet sensus ecclesiae primaeuo-catholicae, quoad articulum de trinitate. In secundo breuis responsio ordinatur ad D. Georgii Bulli defensionem Synodi Niccnae. Authore Gilberto Olerke Anglo. Argumentum postremi: vera et antiqua fides de Diuinitate Christi explicata et asserta contra D. Bulli iudicium ecclesiae*, ann. CIↃIↃCXCV. 8. Tria opuscula, antea seperatim edita, ab homine in vnum corpus col-

 lecta.

* De CRELLIO legas summe venerabilis GABR GVIL. GOETTENI *gelehrtes Europam* Tom. III. p. 277. sqq. IO. ERH. KAPPII *histor. Artemonis et Artemonitarum*: IO. LAVR. MOSHEMII *synt. dissertat.* p. 942. et cel. CHAVFEPIE *diction. histor. critiq.* tom. II. p. 88.

lecta ſunt, qui quum ipſe falſo crederet, GILBERTVM CLERKIVM, quem ſimilibus erroribus fuiſſe infectum, conſtat, ſcripſiſſe libellum, quem illi in inſcriptione adiudicat, multos alios fefellit, vt idem repeteret. Omnia vero a CRELLIO profecta fuiſſe docuit cel. BAVMGARTENIVS: *

II. *Fides primorum Chriſtianorum ex Barnaba, Herma et Clemente Romano demonſtrata*, cet. Londin. ann. CIↃIↃCXCV. 8. Oppoſuit CRELLIVS, ſub adſcito LVCAE MELLIERII nomine latens, hoc opuſculum celebratiſſimo BVLLI libro; ſed dedit ipſi reſponſa GRABIVS, quum ſplendidam operum *Bullianorum* collectionem ederet:

III. *Cogitationum nouarum de primo et ſecundo Adamo; ſiue de relatione ſalutis, per illum amiſſae, per hunc recuperatae, compendium*, Amſtel. ann. CIↃIↃCC. 8. Confutauit libellum IO. SCHMIDIVS, theologus Lipſienſis:

IV. *Breuis diſſertatio, qua probatur, coenam Domini non eſſe ſignum; vel partem commixtionis et familiaritatis priuatae adeoque declarationem quorundam, qua profitentur, ſeſe cum diuerſa ſentientibus et leges quasdam Chriſti diuerſo modo explicantibus ac exequentibus nullam coneſtione ſacri panis commixtionem teſtari velle, prorſus*

* In *der Nachr. von einer Haell. Biblioth.* vol. III. p. 548.

ſus eſſe ſuperuacaneam. Quamuis hoc opuſculum, a GOTTFR. OLEARIO confutatum, doctrinam de trinitate non tractet; ſpectat tamen ad cauſſam Socinianam;

V. *Initium euangelii ſancti Ioannis apoſtoli ex antiquitate apoſtolica reſtitutum indidemque noua ratione illuſtratum*, cet. a. CIↃIↃCCXXVIII. 8. 2. vol. CRELLIVS, qui *L. M. Artemonii* nomine vſus eſt, acriter contra Diuinitatem Chriſti pugnat; ſed ſatisfactionem illius concedit. Poſt BVDDEVM, PFAFFIVM, MOSHEMIVM, WEISMANNVM et WOLFIVM data opera contra ARTEMONIVM illuſtris WESSELINGIVS, VENEMA et doctus puer, IO. PHIL. BARATIERIVS feliciter pugnarunt:

VI. *Defenſio emendationum in Nouatiano ſactarum contra virum clariſſimum Ioannem Iackſonum. Accedunt alia, ad librum Artemonii addenda*, CIↃIↃCCXXIX. 8. Quale ſit huius commentationis argumentum, ex illis patebit, quae de controuerſia Whiſtoniana a nobis dicentur. Praeter haec, auctor eſſe dicitur *meditationum* illarum Germanicarum, quae beato SPENERO exhibitae, hunc ad exarandum immortale opus de Diuinitate Chriſti adduxerunt. Inuitauit quidem a. CIↃIↃCCXL. IOACHIMVS LANGIVS epiſtola publice edita CRELLIVM ad ſuſcipiendum certamen litterarium de trinitate ac Diuina Ieſu Chriſti natura; ſed hic exculatione ſe-

nectutis vſus, voluntati LANGII non ſatisfecit. * Hactenus de CRELLIO. **

§. V.

Praeter CRELLIVM, ad Socinianas partes a veritate declinarunt: IO. IOACH. ROLINGIVS, munere ſacro, quod in Friſia orientali adminiſtrauerat, a. CIↃIↃCCXL. priuatus: *** ſacerdos quidam Stargardienſis, qui a. CIↃIↃCCXXXIX. quum nulla ſpes eſſet, fore, vt nuncium mittat erroneis opinionibus, ſimili modo de loco ſuo deiectus fuit, **** et THOMAS CHRISTIANVS LEOPOLDVS, fanaticis alioquin nugamentis addictus, qui, ne alios ſeduceret, in Suecia cuſtodiae traditus fuit. Quae de ſcriptore diſſertationis de *praeexiſtentia animae Chriſti* Gallicae et IO. IAC. WESTENII, Arminiani doctoris, erroribus Socinianis dicenda ſunt, eadem alibi attingemus.

§. VI.

Arianorum multitudo inſignis ſurgere cepit in Anglia. Princeps illorum habetur GVILIELMVS WHISTONVS. Natus d. IX. Dec. anno CIↃ-

* Vid. *act. hiſtorico-eccleſ.* vol. VII. p. 976. ſqq.
** Conf. WEISMANNI *introd. in memorabil. hiſtor. eccleſ.* Vol. II. p. 562. ſqq. et ven. patris *Einleitung* loc. cit. p. 616. ſqq.
*** Vid. *act. hiſtorico eccleſiaſt.* vol. II. p. 749. vol. IV. p. 173. et vol. V. p. 30.
**** Ibid. vol. VI. p. 301.

CIↃIↃCLXVI. litteris tanto ſtudio dedit operam, vt prouincia, mathematicas diſciplinas in academia Cantabrigienſi tradendi, ipſi committeretur. Qua quum non ſine ſumma laude fungeretur; animo vero eſſet ad ſententias nouas et παράδοξα admodum proclini, facile accidit, vt amplecteretur, quas a CLARKIO acceperat, coniecturas de fide patrum trium primorum ſeculorum Ariana easque publicis litteris commendaret. Ab eo tempore cepit Arianam doctrinam tueri, ita vt mallet ann. CIↃIↃCCX. de officio ſuo decedere; quam illam relinquere. Vixit Londini, nonnumquam ſumma adflictus paupertate et vbiuis ſe praebuit hoſtem formulae fidei, quae ab Athanaſio nomen accepit. Ann CIↃIↃCCXLVII. octogenarius coetui baptiſtarum ſe adiunxit, quum voluntati ſuae, Arianum colligendi, ſatisfacere deſperaret. Vitam depoſuit d. XXII. Aug. ann. CIↃIↃCCCLIII. octoginta quinque annos natus. Qui vſi illius ſunt conſuetudine, ſingularem celebrant animi candorem morumque probitatem dolentque, virum doctum ad iſtos errores prolapſum eſſe. **

§. VII.

Quae litteris conſignauit, ingenii monimenta fere omnia niſi Socinianas exhibent doctrinas; in-

* Ibid. vol. VIII. p. 244. et vol. XI. p. 112.
** WHISTONVS ipſe edidit *memoirs of the Life and writings*

inauditas tamen et puriori Christianae religioni contrarias. Quare non possumus nobis temperare, quin singula enarremus, quae cupimus ad lectorum peruenire notitiam, omissis ceteris, quae theologici non sunt argumenti:

I. *A new theory of the earth*, Lond. CIↃIↃCXCVI. Theoria haec telluris ob varias hypotheses, scripturae sacrae, maxime narrationibus Mosaicis de creatione mundi et diluuio, aperte contrarias, satis nota est:

II. *A short view of the chronology of the old testament and of the harmonie of the four evangelists*, Lond. ann. CIↃIↃCCII. 4. Licet in hoc libro nihil sit, quod Arianismum redoleat; multa tamen temerarie dicta:

III. *The accomplishment of scripture-prophecies*, Cantabr. ann. CIↃIↃCCVIII. 8. Addita est celebrata satis dissertatio de duplici adscensu Christi in caelum, postea demuo edita:

IV. *Sermons and essays upon seueral subiects*, Lond. anno CIↃIↃCCVIII. In hoc volumine praeter alias sententias erroneas, haud obscure animum prodidit, Arianismo deditum, maxime ob adiectum NOVATIANI *librum de trinitate*, quem saltem ita interpretatur, vt doctrinam patrum, qui ante Nicaenum concilium vixerunt, Arianae consentaneam fuisse concludat:

V. *Pri-*

writings of Mr. William Whiston. Lond. ann. CIↃ-ↃCCXLIX. 8.

V. *Primitiue Chriſtianity reviv'd*, Londin. ann. CIↃIↃCCCXI. 8. quatuor voluminibus, cui quintum ann. CIↃIↃCCCXII. acceſſit. Hoc opus inter ea, quae ad hunc locum ſpectant, primarium eſſe cenſetur. Aperte enim declarat, ſe cum Ario facere. Continentur vero illo, praeter longiorem praefationem, I) IGNATII *epiſtolae* Graece et Anglice tam interpolatae; quam breuiores, hac tamen lege, vt illas germanas, has ab Athanaſianis corruptas eſſe, velit. II) *Conſtitutiones apoſtolicae*, item Graece et Anglice, quas quidem canonicas eſſe, multo ſtudio aliis perſuadere cupit. Quare III) integram diſſertationem ſatis longam compoſuit de ἀυθεντία harum conſtitutionum, qua ſimul innumera παράδοξα de libris canonicis et non canonicis adtulit. IV) Porro de *fide primaeua* ita diſputat, vt antiquiſſimis temporibus dogma de trinitate Nicaenum prorſus ignotum fuiſſe ſtatuat, et V) quartum, quem ipſe ſecundum dicit, *Eſrae* librum canonicum eſſe, probat. VI) Denique *recognitionum Clementis* interpretationem exhibet Anglicanam. Exſtat quoque huius operis breuis epitome, itidem Anglice ſcripta. Addi quoque poteſt alius WHISTONI liber: *Athanaſius convicted of forgery*, Lond. ann. CIↃIↃCCCXII. 8.

VI. *Remarks on Dr. Grabe's eſſay upon two Arabik manuſcripts of the Bodleiam library*, Lond. ann. CIↃIↃCCCXI.

VII.

VII. *Primitive infant-baptiſm reviv'd* Lond. CIↃIↃCCXII. 8. Pugnat contra paedobaptiſmum:

VIII. *Three Eſſay*, Londin. a. CIↃIↃCCXIII. 8. Ab haereſi, quam fingit, Athanaſiana concilium Nicaenum liberum fuiſſe, contendit: iterum de doctrina patrum quarti ſeculi de trinitate et incarnatione differit liturgiamque Anglicanam a mendis Athanaſianis liberari cupit:

IX. *An argument to prove that, either all perſons ſolemnly, tho irregularly ſet apart for the miniſtry, are real Clergy-men and all their miniſterial acts are valid; or elſe there are no real Clergy men or Chriſtians in the world*, Londini ann. CIↃIↃCCXIV. 8. In additamentis denuo pugnat contra Athanaſium:

X. *A vindication of the Sibylline oracles*, Londini ann. CIↃIↃCCXV. 8. Partem ex illis credit eſſe germanam:

XI. *St. Clement, and St-Irenaeus's vindication of the apoſtolical conſtitutions*, Londini anno CIↃIↃCCXVI. 8. ſecunda vice edita:

XII. *A humble and ſerious addreſs to the princes and ſtates of Europe for the admiſſion as at leaſt open toleration of the Chriſtian religion in their dominions*, Londini ann. CIↃIↃCCXVI. 8. Nullibi, queritur, tolerari Chriſtianos, id eſt, Arianos:

XIII. *A primitive catechiſm*, Londini anno CIↃIↃCCXVIII. Catechiſmum conſcripſit WHI-

STONI

STONI frater, DANIEL; ipse vero emendauit; siue potius errores suos adiecit.

XIV. *Letter of thanks to -- the Lord Bishop of London*, ann. CIↃIↃCCXIX. 8. Accessit eodem anno secunda epistola. Defendit doxologias Arianas, quas ipse commendauerat; praesul vero Londinensis reiecerat:

XV. *A commentary on the three catholik epistles of St. John*, Londin. ann. CIↃIↃCCXIX. 8.

XVI. *The true origin of the Sabellian and Athanasian doctrines of the trinity*, Londini ann. CIↃIↃCCXX. 8.

XVII. *Letter to the Earl of Nottingham concerning the eternity of the son of God and of the holy spirit*, editio secunda auctior, ann. CIↃIↃCCXXI. 8. Illustrissimus comes et ore et scriptis se opposuerat WHISTONI impietati:

XVIII. *An essay towards restoring the true text of the old testament*. Lond. a. CIↃIↃCCXXII. 8. Opus hoc licet palmarium suum monimentum dixerit WHISTONVS; rectius tamen dixisset suum in sacrum codicem impietatis monimentum. Nemo contra id felicius disputauit venerabili IO. GOTTL. CARPZOVIO.

XIX. *A supplement to Mr. Whiston's late essay*, Londini ann. CIↃIↃCCXXIII. 8. Pugnat contra Diuinam originem auctoritatemque canonicam cantici canticorum:

XX. *The litteral accomplishment of scripture prophecies*, Lond. ann. CIↃIↃCCXXIV. 8. eius-

que

que *supplementum*, CIↃIↃCCXXV. 8. Pugnat simul contra COLLINSIVM huiusque aduersarios.

XXI. *Authentik records*, a. CIↃIↃCCXXVII. Collectio est variorum opusculorum, quae itidem ad agendam Arianorum caussam comparata sunt:

XXII. *The genuine Works of Flauius Iosephus -- translated from the original Greek*, 5. volum. Dublin. anno CIↃIↃCCXLI. 8. Multa in hoc opere recte laudantur, licet nullam praetermisisse WHISTONVM certum sit, occasionem, opiniones suas falsas, maxime de corrupto codice ebraeo, denuo repetendi:

XXIII.. *Primitive new testament*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLV. 8. Temerarium vides criticum, cui vix parem inueneris:

XXIV. *Account of the exact time, when. miraculous gifts ceas'd in the church*, Londini anno CIↃIↃCCXLIX. 8.

XXV. *Sacred history of the view and new testament.* Historiae sacrae, quae a creatione mundi ad Constantinum M. deducta est, pars prior Londini ann. CIↃIↃCCXLV. posterior ann. CIↃIↃCCXLVI. lucem vidit. *

§. VIII.

* Praeter ea, quae WHISTONVS in *commentariis de vita sua* tradidit, videantur: *die auserlesene theolog. Bibl.* vol. III. p. 890. seqq. ven. patris *Einleit. in die Religionsstreit. ausser der E. L. K.* vol. IV. p. 157.

§. VIII.

Mirifica WHISTONI audacia, contra doctrinam de trinitate et Diuinitate Christi omni opera et ope pugnandi, non solum magistratus excitauit, vt in eum animaduerterent; sed etiam viros doctos commouit, vt ei resisterent. Ex his, ne nimis longa sit nostra oratio, paucos commemorare, sufficiet:

MICHAEL MAITTAIRE, qui scripsit: *an essay against Arianism and some other heresies*, Londini ann. CIↃIↃCCXI. 8. Non satis adcurate disputauit.

IO. ERNESTVS GRABIVS contra WHISTONVM edidit: *an essay upon two Arabick manuscripts of the Bodleian Library, and that ancient Book, call'd, the doctrine of the apostles*, Londini ann. CIↃIↃCCLI. 8. Eo ex hac vita delato, GEORGIVS HICKESIVS, illius librum: *some instances of the defects and omissions in Mr. Whiston's collection of testimonies - - against the true deity of the son and the holy ghost*, Londini ann. CIↃIↃCCLII. 8. edidit.

IO. EDVARDVS in *some Brief observations and reflexions on Mr. Whiston's primitive christianity reviv'd*, Lond. ann. CIↃIↃCCXII. 8.

ERASM. WAAREN in *an antidote against Arianism*, Lond. ann. CIↃIↃCCXI. 8.

RO-

157. et ven. BAVMGARTENII *Nachricht. von einer Hallischen Bibliotb.* vol. IV. et VI.

ROBERTVS TVRNERVS, cuius exſtat: *a diſcourſe of the apoſtolical conſtitutions*, Lond. ann. CIↃIↃCCXV. 8.

IO. FRIDERIC. WVCHERERVS in *vindiciis aeternae Diuinitatis Ieſu Chriſti*, Ienae ann. CIↃIↃCCXXXII. 8.

§. IX.

Addimus WHISTONO THOMAM EMLYNVM, qui ſub initium noſtri ſeculi Dublinii coetui presbyterianorum praefuit. Sententiae et libelli de trinitate, quos GVIL. SHERLOCKIVS compoſuerat, in cauſſa fuerunt, vt ipſe de veritate doctrinae ſanctiſſima dubitaret et imprudens Socinianas partes amplecteretur. Quum illas et ore et ſcriptis tueri auderet, non ſolum ſacro munere priuatus, ſed etiam cuſtodiae traditus et biennio in illa detentus fuit. Seceſſit poſtea Londinum tamque impudens fuit, vt per aliquot annos ſacros conuentus haberet. Inter eos vero obtinet locum, qui docte et adcurate diſputant, ideoque monimenta eius apta ſunt ad alios fallendos. Illorum variae exſtant collectiones. Poſtrema Londini ann. CIↃIↃCCXLVI. tribus voluminibus 8. prodiit, hoc praemiſſo titulo: *the Works of Mr. Thomas Emlyn*, cui filius eius, SALOMO, vitam EMLYNI adiecit. De nullo argumento doctius diſputauit, quam de loco Ioannis de tribus teſtibus, confutatus a DAV. MARTINO,

TINO, cum quo satis longa fuit controuersia. *

§. X.

Clarissimus theologus fuit DANIEL WHITBY, ** cathedralis templi Salisburiensis cantor, mortuus ann. CIↃIↃCCXXVI. Qui quum antea multa egregia composuisset monimenta ad defendendam saniorem doctrinam; tamen sensim ad errores Arianos prolapsus est. Ediderat ann. CIↃIↃCCXXIII. *a paraphrase and commentary on the new testament*, opus multis plausibus eruditorum exceptum et ann. CIↃIↃCCXXVII. fol. binis voluminibus denuo typorum formis expressum; haud obscure tamen insperserat nonnullas interpretationes, quas Arianis fauere, notauerat IO. EDVARDVS, cum quo de imputatione peccati Adamitici disputauerat. Auxerunt suspicionem illius *disquisitiones modestae in clarissimi Bulli defensionem fidei Nicenae*, Lond. ann. CIↃIↃCCCXVIII. Quamuis enim contemni nequeant, quae de auctoritate patrum in decidendis huius generis controuersiis differit; aeque tamen falsum, ac periculosam est, cum ipso negare, patres ante-

* Conf. PFAFFII *introduct. in histor. theol. litterar.* part. I. pag. 295. patris *Einleitung* loc. cit. pag. 202. BAVMGARTENIVM loc. cit. vol. IV. p. 98. sqq. KRAFTII *theolog. Biblioth.* vol. II. p. 163. et ALBERTI *Briefe* p. 720. sqq.

** Vid. WOODII *Athen. Oxon.* vol. II. p. 1068. sqq. et NICERONII *memoir.* tom. XXI. p. 248. sqq.

Nicaenos cum Nicaenis consentire. Haec omnia tamen facile ignoſci potuiſſent WHITBIO; niſi moribundus libellum poſt mortem iuſſiſſet publicari, quo aperte Arianum ſe eſſe, confeſſus eſt. Prodiit Londini ann. CIↃIↃCCXXVII. 8. ita inſcriptus, *ὑςέραι Φροντίδες or laſt thoughts.* *

§. XI.

Illuſtrium, quos commemoraui, virorum exemplo quamplurimi in Anglia commoti ſunt, vt in eadem caſtra ſe conferrent. Patet id maxime ex controuerſia WATERLANDI, qui multo ſtudio veritatis cauſſam egit multosque ſibi excitauit aduerſarios, qui impudentius Arianos defenderunt. ** Sed de his aeque ac recentiſſimis libellis tacemus, ne iuſto longior ſit noſtra oratio, paucos tantum addituri, quos prae aliis putamus eſſe memorandos. Quales ſunt:

Editor noui teſtamenti Graeco-Anglicani, cuius haec eſt inſcriptio: *the new teſtament in greck and engliſh, containing the original text corrected from the authority of de moſt authentik manuſcripts and a new verſion, form'd agreeably to the illuſtrations of the moſt learned commentators and critics*, Londini ann. CIↃIↃCCXXIX. 8. 2. vol. Quo maior eſt externae formae elegantia et ſplendor; eo indignius eſt ferenda ſumma impietas, qua in ſacrum codicem editor vſus eſt. Bene

* Adde patrem loc. cit. p. 195.
** Ibid. p. 185.

Bene contra eum disputauit LEONARD. TWELSIVS in *critical examination of the late new text and version of the new testament*, Londini ann. CIↃIↃCCXXXII. 8. *

Auctor inficeti libelli: *Athanasian forgeries, impositions and interpolations, collected chiefly out of Mr. Whiston's writings*, Londini anno CIↃIↃCCXXXVIII.

Scriptor impii opusculi: *a plain account of the trinity from scripture and reason, wherein is clearly proved, that the belief of this doctrine, as imposed by church authority, is a human invention and not to be found in scripture*, Londini ann. CIↃIↃCCXXXIX. 8. **

Scriptor alius libri: *the scripture account of the attributes and whorship of God and of the character and officies of Iesus Christ*, Londin. ann. CIↃIↃCCL. 8. ***

ISAAC. WATTS, cuius monimenta non solum ab Anglis; sed etiam ab aliis, nostratibus quoque, vno quasi ore solent celebrari. Non solum de praeexistentia animae Christi; sed etiam de aliis quaestionibus ita philosophatus est, vt quam prope absit a pernicioſis Socinianorum erroribus, manifestum sit. Commemorantur hanc in rem bini libelli ab illo ἀνωνύμως scripti; alter:

* Vid. BAVMGARTENIVM loc. cit. vol. IV. p. 208.
** Ibid. vol. VI. p. 411.
*** Vid. ALBERTI loc. cit. p. 741.

vſeful and important queſtions, concerning Ieſus the ſon of God; alter: *the glory of Chriſt, as God-Man*, vterque Londini ann. CIↃIↃCCXLVI. editus. *

Scriptor opuſculi: *remarks upon the Athanaſian creed*, Londini CIↃIↃCCLV. 8. Sequioris ſexus ſe eſſe, prodit auctor: num vere; an ſimulate, definire non audemus.

§. XII.

Nouum ſyſtema doctrinae de trinitate, ſed Ariano plane ſimile, protulit ROBERTVS CLAYTONVS, qui Clogherae in Hibernia epiſcopi munere fungitur iuſtaque alioquin magnae eruditionis laude conſpicuus eſt. Magnas ſane turbas excitauit piisque omnibus ingentem adtulit dolorem, edito libro, *an eſſay on ſpirit*, cuius ſecunda editio Londini ann. CIↃIↃCCLII. 8. prodiit. Vt paucis prauas eius omnes ſententias complectar, filium Dei et ſanctum Spiritum ex ſpirituum creatorum, quorum inſignem numerum eſſe, credit, ordine eſſe; ſed tales, quibus Deus attributa ſua infinita omnipraeſentiae, omniſcientiae, omnipotentiae contulerit, non ſolum ipſe ſtatuit; ſed eamdem etiam opinionem, philoſophis profanis, Iudaeis et patribus trium primorum ſeculorum adprobatam, per decreta concilii Nicae-

* Vid. ven. KRAFTII *theolog. Biblioth.* vol. III. p. 35. ſqq.

Nicaeni formulasque arbitrarias iniuſte proſcriptam fuiſſe, aliis perſuadere ſtudet. *

§. XIII.

Admodum parum ab Arianis diſcrepant *Subordinatiani*, qui diſcrimen dependentiae et ſubiectionis inter tres Diuinitatis perſonas intercedere comminiſcuntur. Proximo ſeculo RADVLPH. CVDWORTHVS et GEORG. BVLLVS hanc ſententiam haud obſcure tradiderunt; ſed nemo in illa exornanda tuendaque maiorem poſuit induſtriam SAM. CLARKIO, qui ob inſignes ingenii dotes et magnas eruditionis, tum philoſophicae, tum criticae, opes inter decora ſeculi noſtri referri ſolet. Reginae Annae fuit a ſacris praefectusque templo S. Iacobi Weſtmonaſterienſi; ſed priore dignitate ob errores, quibus ſe addixerat, priuatus, Londini d. XVII. mai. ann. CIↃIↃCCXXIX. vitam depoſuit. ** Varia ſunt opuſcula, quibus doctrinam ſuam de trinitate modo expoſuit; modo contra aduerſarios defendit; ſed in vnum corpus coacta, quartoque tomo operum, quae Londini ann. CIↃIↃCCXXXVIII. fol. iunctim prodierunt, comprehenſa. Ecce illorum titulos:

* Vid. ven. BAVMGARTENII *Nachrichten von merkwürdigen Büchern* vol. IV. p. 60. ſqq.

** Vitam CLARKII notitiamque ſcriptorum eius praefixit *primo tomo* operum BENIAM. HOADLEY: adde NICERONII *memoir.* tom. XXXV. p. 346. ſqq.

I. *The ſcripture doctrine of the trinity, wherein every text in the new teſtament, relating to that doctrine, is diſtinctly conſidered and the diuinity of our bleſſed ſaviour according to the ſcriptures proved and explained.* Prima opuſculi editio Lond. ann. CIↃIↃCCXII. lucem vidit.

II. *Letter to the rev. Dr. Wells -- in anſwer to his remarks.* Ediderat quippe EDVARD. WELLSIVS *remarks on Dr. Clarke's introduction to his ſcripture doctrine of the trinity*, Oxon. ann. CIↃIↃCCXIII. 8. cui haec reſponſa oppoſuit CLARKIVS, Londin. ann. CIↃIↃCCXIV. 8.

III. *A reply to the obiections of Rob. Nelſon and of an anonymous author*, cet. NELSONIVS tum in *vita Bulli*, tum in ſingulari *epiſtola* aduerſus CLARKIVM diſputauerat.

IV. *Anſwer to the remarks of the author of ſome conſiderations, concerning the trinity:*

V. *A letter, written to the late reu. Mr. R. M. containing obſeruations upon his book, entitled, a plain ſcripture argument againſt D. Clarke's doctrine*, cet.

VI. *A letter to the author of a book, entitled, the true ſcripture doctrine of the trinity continued and vindicated:*

VII. *The modeſt plea continued.* Hoc opuſculum oppoſitum fuit WATERLANDO, qui ingenioſe feliciterque CLARKII impias voces reiecerat:

VIII. *Obſeruations on Dr. Waterland's ſecond defence of his queries:*

IX. *An apology for Dr. Clarke.* Comitia Londinenſia praeſulum Anglicanorum in CLARKIVM animaduerterant eique perſuaſerant, ſolemni formula reuocare priſtinos errores. Quaenam tum geſta fuerint, hoc libello exponuntur.

X. *Three letters to Dr. Clarke, from a Clergyman--- with the Doctors replies.* Ex his vti facile colligitur, multos in certamen cum CLARKIO ingreſſos eſſe, ita illis FRANCISCVS GASTRELLVS, IOANNES EDVARDVS aliique addi poſſunt.

§. XIV.

Sententiarum de trinitate, quas amplexus eſt CLARKIVS, haec eſt breuis ſumma:

I. Tres ſunt perſonae Diuinitatis, pater, filius et ſpiritus ſanctus:

II. Prima, pater, eſt ens ſummum, ens a ſe, cauſſa omnium rerum:

III. Ab initio cum illo coexſtiterunt perſona ſecunda, ὁ λόγος, et tertia, ſpiritus patris et filii:

IV. Qualis ſit eſſentia harum perſonarum, ſcriptura non docet; attributa tamen et opera perſonalia declarat:

V. Pater ſolus eſt ens a ſe: fons et origo omnis potentiae et maieſtatis: principium et cauſſa omnium operum filii et ſpiritus, Deus et pater Ieſu Chriſti:

VI. Dei nomen, vbicumque vniuerſe poſi-

tum; aut cum attributis maiestaticis coniunctum est, eum solum significat:

VII. Filius non est ens a se; sed ipsam essentiam omniaque attributa a patre accepit: quomodo; aut quando id acciderit, definire non licet; sufficit, factum esse ab initio, hoc est, ante creatam rerum vniuersitatem; nec necessario; sed libera Dei voluntate:

VIII. Non est modus Diuinae intelligentiae; sapientia tantum; sed vere persona:

IX. Spiritus sanctus itidem est persona, non ens a se; exstitit vero ab initio:

X. Qui credunt, filium et spiritum sanctum esse a se, Gabelliani habentur:

XI. Dei nomen filio non per essentiam; sed relationem ad patrem tribuitur:

XII. Quaecumque Dei attributa possunt communicari, eadem cum filio communicata fuerunt, E. non aseitas:

XIII. Per filium Deus creauit mundum:

XIV. Spiritus sanctus auctor est miraculorum, quae Christus aliique fecerunt: tribuuntur ipsi θεοπνευστία et gratiosae operationes:

XV. Maiora ipsi competunt attributa, quam angelis, non quam filio:

XVI. Deus numquam adpellatur:

XVII. Subiectus; siue subordinatus est patri filius, ita vt quaecumque hic efficit, virtute, ex voluntate et in gloriam patris fiant:

XVIII. Tota filii persona ad patrem fundebat

bat preces, quod illum se maiorem agnouit, suumque Deum adpellabat:

XIX. Vnus est Deus, quod suprema numinis potestas soli patri per se competit et cum filio est communicata:

XX. Spiritus sanctus et patri et ex huius voluntate filio est subordinatus:

XXI. Cultus religiosus soli patri tribuendus, mediate filio et spiritui sancto, cet. Ex his quisque concludat necesse est, omnino erroneam fuisse CLARKII de filii et spiritus sancti diuinitate opinionem. *

§. XV.

Quamuis id negari nequeat; fuerunt tamen et, quod non sine summo animi dolere scribo, superfunt in Anglia, qui CLARKIO accedunt. In his quoque summum philosophum, ISAAC. NEWTONVM, esse; licet diu dubitauerint viri docti; nemo tamen dubitare perget, si legerit, quae ille de IOANNIS effato 1. Io. V, 7. et *Paullino* 2. Tim. III, 16. scripta reliquit, nuper a clar. MATY in lucem producta. **

§. XVI.

Sub initium huius seculi Sabellianos de trinitate errores reuocauit HERMANNVS DEVSINGIVS. Quum *demonstrationes allegoriae historicae*

* Vid. ven. patrem loc. cit. p. 177. sqq.
** Conf. cl. ALBERTI loc. dict. p. 728. sqq.

ſtoricae earumque partem primam in lucem emitteret Franequerae ann. CIↃIↃCCI. ſubiecit *reuelationem myſterii ſacro-ſanctae trinitatis.* Comparat eſſentiam Dei cum humana anima; tres vero perſonas cum tribus facultatibus finitis, quas in hac ineſſe, cenſet, *intellectu*, *iudicio* et *voluntate.* Quatenus ergo Deus conſideratur, vt *intelligens*, dici eum patrem: vt *iudicans*, filium: vt *volens*, ſpiritum ſanctum. *

§. XVII.

Parum ab iſtis erroribus abfuit SOVVERAINIVS, quem Gallum fuiſſe et exulem ex patria, omnes conſentiunt, num in Anglia poſthaec egerit vitam, quoue anno eam depoſuerit, ignorant. Sufficit, eum varios libros reliquiſſe, quibus vera de trinitate doctrina impie corrumpitur. Ex his bini inprimis memorabiles ſunt, alter: *le Platoniſme devoilé, ou eſſay touchant le verbe Platonicien, diviſe en deux parties*, Colon. anno CIↃIↃCC. 8. alter: *les raiſons des ſcripturaires, par leſquelles ils font voir que les termes de l'ecriture ſuffiſent pour expliquer le dogme de la trinitè*, Hamb. ann. CIↃIↃCCVI. 8. vterque omiſſo auctoris nomine editus. Priori libello aliis perſuadere ſibi ſumſit, doctrinam de trinitate, a patribus antiquioribus ex ſchola Platonica in ciuitatem

* Conf. auum meum IO. FRANC. BVDDEVM in *inſtitut. theol. dogmat.* lib. II. cap. 1. §. 54. et patrem loc. cit. p. 75. ſqq.

tem Christianam introductam fuisse; Platonem autem eamdem per ratiocinationem inuenisse. Etenim quum veteres philosophi intellexissent, attributa Diuina *bonitatis*, *sapientiae et potentiae* ex mundo condito maxime elucere, tria tandem orta esse principia; siue hypostases, *bonam rationem* (λόγον) et mundi *animam*. Eodem itaque modo ipsam trinitatem, suadet explicari; neque obscure significat, se discrimen illud reale, quo tres ὑποστάσεις discernuntur, negare. Simili modo hoc *modalistarum*, sic enim in scholis vocantur, qui ita sentiunt, systema proposuit in posteriori libello illudque omnium, qui recte de trinitate docent, commune esse, impudentius adfirmauit. * Opposuerunt se illi IOANN. GVIL. IANVS et BALTVS, Loiolita. **

§. XVIII.

Denique PAVLLVS MATY, vir doctus et in Anglia superstes, insigniter peccauit, quum ann.

* Conf. BVDDEI *institut. theol. dogmatic.* p. 305. et 306. patris *librum commemoratum*, pag. 74. et 308. CHRIST. EBERH. WEISMANNI *introd. in memorab. histor. eccles.* vol. II. p. 562. et ven. BAVMGARTENII *Nachrichten von einer Haellischen Biblioth.* vol. III. p. 533. sqq.

** Num Sabelliana; an Sociniana sit sententia de trinitate, quam cl. VERNETVS in *institutione Christiana*, Gallice edita et Germanica conuersa, tradidit, alii videant. conf. ven. KRAFTII *theolog. Biblioth.* vol. IX. p. 692.

ann. CIↃIↃCCXXIX. luci publice exponeret: *lettre d'un theologien à un autre theologien ſur le myſtére de la trinité.* Etenim vt grande illud myſterium intellectu facile redderet, finxit, filium et ſpiritum ſanctum eſſe duas naturas finitas et a Deo conditas, quae certo tempore Diuinam ſibi iunxerint naturam. Confutauit has nugas ARMANDVS DE LA CHAPELLE effecitque, vt alia quaedam ab vtraque parte componerentur opuſcula. Noſtratium vſui maxime inſeruit beati MOSHEMII *modeſta inquiſitio in nouam dogmatis de ſacroſancta trinitate explicationem*, Helmſtadii ann. CIↃIↃCCXXXV. 4. *

§. XIX.

Nouos quoque doctrinae de trinitate hoſtes inter philoſophos vidit noſtra aetas. Satis vetuſta eſt, quae truſtra nonnullorum ingenia exercuit, quaeſtio: num ratio, ſibi relicta, de hoc myſterio quidquam cognoſcere poſſit; nec ne. Nobilem eam inprimis iudicarunt; neque, id negamus, et diligentia viri docti ſummopere diguam, nonnulli ex his, qui ſapientiae laude excellere cupiebant. De his quidem hoc loco dicere non poſſumus, qui rem humani ingenii vires ſuperare, confeſſi, argumentis id vnum efficere ſtuduerunt, vt, perſpicere rationem, cognitam ex reuelatione doctrinam, nihil abſurdi continere,

* Adde patrem loc. cit. p. 226. ſqq.

tinere, intelligatur. * Horum enim operam laude non defraudare libet, quam consequuta est; sed illos a suspicione antitrinitarianismi, saltem ab omni culpa summae imprudentiae aeque ac impietatis numquam absoluemus, qui tres esse in vna Dei essentia personas, mathematicorum more ἀκριβῶς demonstrare ausi fuere. **

§. XX.

Quo grauius vero antitrinitarii peccant; eo maior gratia habenda viris doctis, qui studiose in confutandis illorum erroribus versati sunt. Horum notitiam suppeditare, ab hoc quidem loco alienum est; laudabile tamen commemorari oportet institutum MOYERIAE. Illustre enim BOYLII aliorumque exemplum imitata, locuples femina testamento amplissimum praemium illis con-

* Nostra aetate difficillimum hoc argumentum explicare, adgressi sunt REINBECKIVS, BAVMGARTENIVS, MEIERVS, CANZIVS, BVTTSTEDIVS et quem inprimis commendamus, summe reuerendus IO. PETR. REVSCHIVS *introduct. in theol. reuelat.* §. 403. sqq.

** De his magna cura exposuit IO. THOM. HAVPTIVS in libello: *Gründe der Vernunft, zur Erlaeuterung und zum Beweise des Geheimnisses der heil. Dreyeinigkeit* Rost. ann. CIↃIↃCCLII. 8. Multa quoque, quae hanc controuersiam illustrant, leguntur in ven. BERN. FRID. QVISTORPII responso, nomine ordinis theologorum Rostochiensis conscripto et laudato in ven. KRAFTII *theolog. Biblioth.* vol. VII. p. 424.

conſtituit, qui octo quotannis ſermonibus publicis contra hoſtes trinitatis pugnarent. Haberi ſolent illae orationes inde ab ann. CIↃIↃCCXX. Londini copioſumque promittunt librorum numerum, ad defendendam veritatem compoſitorum. *

SECTIO IV.

DE CONTROVERSIIS CVM ARMINIANIS.

§. I.

Puſillus eſt *Arminianorum* coetus, ſi eos quidem ſpectes, qui ſectae huic proximo ſeculo in Belgio natae, addictos ſe eſſe profitentur. At ſi eos numeraueris, qui eadem cum illis ſentiunt, hocque nomine eos complexus fueris, qui latitudinarii alioquin adpellari conſueuerunt, maximum eum eſſe, facile intelligitur. Sed de his hoc quidem loco agere, non eſt animus, illorum vero nullae memorantur viciſſitudines, quae a nobis queant enarrari.

§. II.

Tuto adhuc vſi ſunt publici cultus Diuini libertate, quae in Belgio foederato et Friderico-poli in Holſatia illis conceſſa fuit. Neque externa forma immutata fuit.

§. III.

* Conf. MOSHEMII *inſtitut. hiſtor. eccleſ.* p. 1034. et ALBERTI *Briefe* part. I. p. 66.

§. III.

Suſpicione Socinianiſmi, in quam magna doctorum remonſtrantium pars ſuperiore aetate vocata fuit, ſenſim coeperunt liberari, quum doctores illorum, qui noſtra claruerunt, LIMBORCHIVS CATTENBVRGIVS et DRIEBERGIVS, propius ab illis partibus abfuerunt maiorique cura formulam quinque articulorum, ab ARMINIO traditam, eamque neque augendam, nec minuendam, ſeruarunt. CLERICI ſaltem et WETSTENII exemplo, quorum hic peius illo de rebus Diuinis ſtatuit; vterque vero ab Arianis et Soçinianis opinionibus parum alienus fuit, colligere licet, Arminianos Belgicos nolle ſanctiorem diſciplinam in publicis ſcholis ſuis ab his tradi, qui tam grauiorum errorum ſuſpecti ſunt.

SECTIO V.

DE CONTROVERSIIS CVM FANATICIS.

§. I.

Fanaticorum nomen, ſi latior ei ſubiiciatur notio, illis omnibus iure ſolet tribui, qui quum a ceteris reip. Chriſtianae partibus diſcedunt, varias de rebus Diuinis amplectuntur ſententias, modo falſas; modo abſonas, parumque inter ſe cohaerentes: de principiis, ea, quae ad ſalutem ſunt neceſſaria, cognoſcendi, partim abſurde, par-

m impie cogitant: leges salutis impetrandae a
eo constitutas, misere perturbant: de virtute
acramentorum detrahunt: caerimonias sacras
contemnunt, hac tamen lege, vt alii maiorem,
alii leuiorem culpam habeant. Istos omnes, siue
eos fanaticos; siue enthusiastas; siue separatistas
dixeris, coniungi a nobis liceat eosque in duas
classes distribui. Distinguimus enim inter eos,
qui in coetus integros coaluerunt, hominesque
singulares, qui si forte nacti fuere sectatores; nul-
las tamen reliquerunt sectas, ab aliis diuersas.
Silere vero de illis, decretum est, quae CYPRIA-
NVS * memorauit.

§. II.

Inter coetus fanaticos *Anabaptistae* et magnitudine, et antiquitate ceteris praestant. Commode duplex eorum genus esse, statuitur: alterum *Belgarum*, cum quibus *Heluetii* et *Germani* faciunt: alterum *Anglorum*. De vtroque definite agendum.

§. III.

In Belgio *Anabaptistarum* coetum in varias sectas maiores minoresque esse discissum et domesticis bellis in sua saeuire viscera, ex illis, quae CYPRIANVS notauit, satis patet. At quum recenti-

* *Compend. histor. eccles.* libr. III. cap. 8.

centiore aetate variae illorum sectae rectius fuere expositae, * haud absre erit, breuiter eas enarrare. In duas familias tota gens distribuitur, *subtilium*, qui *Flamingi* et *Flandri* nominari solent, ac *crassiorum*. *Subtiles* in maiores et minores sectas discesserunt. Ex illis *Groningani* et *Dantiscani*, ex his *Vkwallistae* sunt. *Crassiores* diuiduntur in *Frisios* et *Waterlandos*. Quos postremo loco nominauimus, denuo in partes iuerunt. Nonnulli enim, qui *Galenistarum* nomine vtuntur, Arminiana dogmata amplectebantur: immo haud parum ab impietate Socini se alienos exhibebant; alii vero, qui per eminentiam *Mennonitae* dici cupiunt, et *Apostolici* adpellari solent, constantius retinent formam doctrinae, a MENNONE commendatam.

§. IV.

Celebres inter illos fuere, praeter eos, quos CYPRIANVS laudauit, PETRVS SCHRYVER, qui quinquaginta annos in nonnullis Belgii foederati ciuitatibus docendi munere functus est, vitamque finiuit d. XI. april. ann. CIↃIↃCCXLII.

IOANNES HAVBAKKERVS, Amstelodamensis et Roterodamensis sacrorum minister, mortuus

* Nemo maiore cura de hac re disputauit beato viro, SIM. FRID. RVES in *den Nachrichten von dem gegenwaertigen Zustand der Mennoniten*, Ien. anno CIↃIↃCCXXXIII. 8.

tuus d. XIV. dec. ann. CIↃIↃCCXV. ABRAH. VERDVIN, qui in pagis de Koog et Sandyck eidem officio praefuit: GERARD. MAATSCHOEN, Amstelodamensis praeco et IOANNES SIMONIS STINSTRA, coetus Harlingensis minister; sed sua prouincia priuatus. *

§. V.

STINSTRAE ** nomen nos admonet officii, controuersiam memorandi, quae in Frisia excitata fuit. Anabaptistarum coetus, quum in hac et vicina Graeningana prouincia crescerent; nec leuis suspicandi causa subesset, errores Arminianos Socinianosque his in dies magis commendari, Reformati doctores omni ope nisi sunt, vt tanta mala coercerent. Ann. CIↃIↃCCXXII. persuaserunt magistratibus, vt ministros sacrorum Men-

* MAATSCHOENIO debemus *tertiam partem historiae Mennonitarum*, ab HERMANNO SCHYNIO conscriptae. Prodiit illa lingua Belgica Amstelodami ann. CIↃIↃCCXLV. 8. hac ornata inscriptione: *Aanhangzel dienende tot een vervolg of derde deel van de Geschiedenisse der Mennoniten*, multaque exponit, quae aliis sunt ignota.

** Clarum inter nos nomen consequutus est STINSTRA, libello, contra Herrnhuthanam sectam edito. Exstat illius interpretatio germanica, cuius haec est inscriptio: *Warnung vor dem fanaticismus*, Berolini ann. CIↃIↃCCLII. 8. cum praefatione ven. SACKII emissa. Legas de opusculo ven. KRAFTII *theol. Biblioth.* vol. VIII. p. 252. sqq.

Mennoniticos ſolemni formulae, ab illis litteris conſignatae, ſubſcribere iuberent, qua doctrina de trinitate et ſatisfactione Chriſti adcurate erat expreſſa. Sed quum Mennonitae ſe non poſſe obtemperare; nec talia ſine iniuria illis praeſcribi, declararent, magiſtratus conſultum duxit, cedere illorum voluntati, adiecta tamen adhortatione, vt ſedulo ab impietate Socini cauerent. Nihilominus a. CIↃIↃCCXXXVIII. tres doctores Mennonitici, WYBE PIETERS, PIEKE TIOMMES et WYTZE IEENS adcuſabantur, dogmata Sociniana publice ab illis proponi: vocabantur in ius: et vt ad quatuor formulae memoratae capita adcurate reſponderent, num vera; an falſa illa eſſe cenſerent, ab illis poſtulabatur. Noluerunt morem gerere; ſed rem ad ordines Friſiae detulere, vnde controuerſia ſatis longa orta fuit. Augebatur, quum STINSTRA quinque orationes ſacras de *natura et forma regni Chriſti.* Harlingae ann. CIↃIↃCCXLI. 8. Belgice exponeret luci; neque obſcure in illis nonnulla traderet, quae errores Socini redolerent, eademque *ſupplemento* acriter defenderet. Rogati ſententiam theologi quinque academiarum Belgicarum et nonnulli alii ex miniſtrorum ordine, conſenſerunt omnes, ſi ab vno HERM. VENEMA diſceſſeris, opiniones STINSTRAE omnino ita prolatas eſſe, vt Socinianis ſimillimae eſſent. Adprobarunt iudicium ordines Friſiae: libellum prohiberi, STINSTRAM vero a ſacro numero ab-

ſtinere, iuſſerunt, vſque dum, ſe deteſtari Socini errores, declararet. *

§. VI.

Baptiſtarum, ** hoc enim nomine malunt deſignari; quam anabaptiſtarum, qui in Anglia et nonnullis Americae prouinciis, Britannorum imperio ſubiectis, commorantur, nonniſi duo dogmata ſunt communia: alterum de paedobaptiſmo, quem reiiciunt omnes, quod fidem ante ſacram lotionem in homine ineſſe oportere, putant; alterum immerſionis ritu, cuius tantam eſſe volunt neceſſitatem, vt baptiſmum, qui adſpergendi ritu peragitur, nullum eſſe ſibi perſuadeant. In ceteris maxime diſſident et in binas familias ſunt diuiſi. Vtraque numero valet.

§. VII.

Antiquior et maior ex his eſt familia *baptiſtarum particulariium*; ſiue Caluinianorum, quos aduerſarii ignominioſe *antinomos* adpellare ſolent.

* Conf. RVESII *libellum laudatum* p. 174. ſqq. ven. DAN. GERDESII *miſcellan. Groningan* tom. III. p. 609. ſqq. et *acta hiſtorico-eccleſ.* vol. VII. p. 218. ſqq.

** De his ſtudioſe agunt: ANTON. GVIL. BOEHMIVS in *der engliſch. Reformations-Hiſtor.* lib. VIII. p. 1152. THOMAS CROSBY in *the hiſtory of the engliſch baptiſts*, edit. Londini ann. CIↃIↃCCXXXVIII. 4. vol. 8. IO. LAVR. MOSHEMIVS *inſtit. hiſtor. eccleſ.* p. 805. et cl. ALBERTI in laudatis *epiſtolis* p. 1087. ſqq.

lent. Coniungunt cum erroribus ante memoratis doctrinam de particulari Dei gratia et absoluto decreto. Si ab his discesseris, reliqua doctrinae pars est pura, ita vt veram sententiam de trinitate et iustificatione constanter retineant eosque, quos secus sentire nouerint, ex societate sua expellant.

§. VIII.

Altera familia nomine *generalium baptistarum*; item *Arminianorum*, vtitur; propius accedit ad Mennonitas Belgicos: credit, gratiam vniuersalem esse; sed in aliis capitibus grauius errat. Arminianorum more quosuis, qui Christianos se esse profitentur, Arianos quoque et Socinianos in societatem sacrorum admittunt. Hinc non mirum, in illa fuisse WHISTONVM, EMLYNVM et FOSTERVM.

§. IX.

Forma regiminis ecclesiastici parum differt ab illa, quae a presbyterianis seruari solet. Quisque coetus sibi relictus suae saluti prospicit; memorantur tamen conuentus doctorum, ab vtraque parte celebrati. De tollendo dissidio inter binas sectas superiori nostroque seculo cepit deliberari; sed defuit consiliis votisque faustus euentus.

§. X.

Inter baptistas generales et particulares omni tempore nonnulli ingenii et doctrinae laude floruerunt,

ruerunt, hac tamen lege, vt rariores ſint apud generales, quod litteras ipſi contemnunt; maior vero ſit eorum numerus, qui, relictis aliis partibus, illis ſe adiungunt. Noſtro aeuo inprimis clari fuerunt: IOANNES WARDVS, THOMAS CROSBY, IOANNES GALE, BENIAM. STINTON, BENIAM. BEDDON, SAMVEL WILSON, IOANNES GILLIVS, ROBERTVS DAVISIVS aliique.

§. XI.

Notari etiam decet controuerſiam de ſabbato, quae inter baptiſtas orta fuit et familiae *ſabbatariorum* originem dedit. Proximo ſeculo FRANCISCVS BAMPFIELD primus docuit, legem de ſabbato non eſſe abrogatam ſacrosque conuentus diebus ſaturni celebrauit. Eum ſequutus eſt IOSEPHVS STENNETVS, qui ann. CIↃIↃCCXIII. ex hac vita migrauit. Poſthaec in Anglia quidem *ſabbatariorum* ſecta exſtincta fuit. * Superſunt vero in Penſiluania nonnulli ſabbatariorum coetus, qui variis vtuntur inſtitutis; num vero faciant cum baptiſtis; an ab illis diſcrepent, equidem definire non audemus. **

§. XII.

Schwenkfeldianorum ſemper reliquiae in Sileſia

* Vid. cl. ALBERTI loc. cit. p. 1108. ſq.
** Conf. ven. FRESENII *Nachrichten von Herrnhuthiſchen Sachen* vol. III. p. 121. 154. 400. 718. et *acta hiſt. eccleſ.* vol. XV. p. 210. ſqq.

ſia maxime fuerunt ſeruatae. Ampliſſima prouincia quum adhuc Auſtriacis pareret, vexationibus Loiolitarum ſaepius turbabantur. Ann. CIↃIↃCCXVIII. in ducatu Liegnicenſi in illos cepit animaduerti; ſequutoque miſſi ad eos bini Ieſuitae, IOANNES MILANVS et CAROLVS REGENTIVS, qui partim pollicitationibus verbisque blandis; partim minis et vi eos in ſua caſtra adducerent. Multi eo tempore, vt e periculo euaderent, noſtris ſacris acceſſerunt: * plures in Americam diſceſſerunt nouosque coetus in Penſiluania condiderunt. Atuero reddidit libertatem ſecuritatemque populo, cuius mores ab aliis laudari ſolent, FRIDERICVS, Boruſſiae rex, poſtquam Sileſiam in poteſtatem ſuam redegit. Litterae regiae, quibus multa beneficia Schwenkfeldii ſectatoribus, qui Sileſiam incolunt; aut incolere cupiunt, conceduntur, ſcriptae fuere d. VIII. Mai. ann. CIↃIↃCCXLII. **

§. XIII.

Sapientiſſimi regis voluntatem prauo conſilio ita interpretatus eſt ADAMVS KOEPKE, ſacerdos Valmouienſis, vt cuiuis permiſſum eſſe, crederet, errores illos pernicioſos, quos SCHWENKFELDIVS amplexus erat, latius

 propa-

* Vid. ven. patris *Einleitung in die Religionsſtreit. auſſer der E. L. K.* vol. IV. p. 1029.

** Vid. *acta hiſtorico-Eccleſ.* vol. VI. p. 373. ſqq.

propagare. Hinc non ſolum illos priuatim defendere et adprobare, ſibi ſumſit; ſed eosdem in nonnullis ſcriptis reuocauit in lucem impiisque DIPPELII, quocum olim familiariter vixerat, opinionibus auxit. * Libelli, quos imprudens emiſit, hi ſunt:

I. *Schriftmaeſige Erklaerung der wahrhaften Erſcheinung Samuelis*, Prenzlou. ann. CIↃIↃCCXLIV. et ſecundum ann. CIↃIↃCCXLV. 8.

II. *Hiſtoriſche Nachricht von dem vor zweyhundert Iahren berühmten Schwenkfeld*, ibid. ann. CIↃIↃCCXLV. 8.

III. *Wegweiſer zum goettlichen Leben*, ibidem eod. 8.

IV. *Die reinigende Kraft des Gottesblutes Ieſu Chriſti*, ibid. eod. Singulis quidem nomen ſuum haud praefixit; caret tamen dubitatione, illum eos compoſuiſſe. His conatibus non ſolum forti animo reſtitit ITZMANNVS, qui ſacrorum Prenzlouienſium antiſtes eſt; ſed etiam ſenatus Berolinenſis, qui ſupremam ſacrae rei gerit curam. Iuſſit enim KOEPKIVM litteris fidem facere, ſe futuro tempore nolle eiusmodi opuſcula in lucem emittere. **

§. XIV.

* Vid. ibid. vol. X. p. 753. ſqq. et reuer. KRAFTII *theol. Biblioth.* vol. I. p. 262. ſq.

** Non ignoramus KOEPKIVM nactum eſſe peſſimae ſuae cauſſae patronum, qui eum a ſuſpicione errorum Schwenkfeldianorum et Dippelianorum liberare, auſus eſt, in litteris, quas beatus BARTHO-

§. IX.

Quakerum * familia adhuc in Anglia, Penſiluania et nonnullis Belgii ciuitatibus viget conſtansque errores ſuos retinet vitam triſtem et auſteram ſectari pergit. Nulli tamen inter eos ſuperſunt vates futurorumque cantores; nec diſſidia, quibus olim res eorum turbari ſolebant. Num de lumine interno eadem vere ſentiant, quae FOXVS, pater huius gentis, olim docuit, nonnulli dubitant.

§. XV.

Neque illa caruit doctoribus, qui publicis monimentis ſententias huius coetus traderent et defenderent. In his eminet BENIAMIN HOLMIVS, cuius breue opuſculum, Anglice conſcriptum;

THOLOMAEI iisdem *actis* vol. XI. p. 300. ſqq. inſeruit; ſed male clienti illum proſpexiſſe, certis argumentis demonſtratum fuit, alia ſcriptione, quae *ibid.* p. 928. ſqq. legitur.

* Hiſtoria Quakerorum noua luce illuſtrata fuit a GVIL. SHEWEL, eidem ſecte addicto, cuius *hiſtory of the Chriſtian people call'd Quakers*, Germanice conuerſa ann. CIↃIↃCCXLII. fol. prodiit et a ven. GEORG. GVIL. ALBERTI in *der Nachricht von der Religion, Gottesdienſt, Sitten vnd Gebraeuchen der Quaker*, Hanov. ann. CIↃIↃCCL. 8. VOLTAERIVS etiam de illis in *epiſtolis de Anglorum gente*, ſatis celebratis, diſſeruit; ſed caute legi debet. Etenim ſi qui alius poeta, hic certe ſibi datam eſſe, credit poteſtatem, quidquid libet, fingendi.

ſcriptum; ſed in patriam noſtram linguam translatum ann. CIↃIↃCCXLIV. 8. hac praemiſſa inſcriptione: *Ein ernſtlicher Ruf an alles Volk, ſich zu dem Geiſt Chriſti in ihnen zu bekehren*, prodiit. Oppoſuit illi ex noſtris GOTTLOB FRIDER. GVDIVS: *Liebreiche Vorſtellung des wahren vnd falſchen, welches in Holmens Ruf angetroffen wird*, Laub. ann. CIↃIↃCCXLIV.

§. XVI.

HOLMIVM defendere ſuſcepit IOS. BESSIVS linguaque Anglicana vindicias ſcripſit, itidem Germanice conuerſas. Vidit enim ann. CIↃIↃCCXLVII. 8. lucem: *Eine Vertheidigung des B. Holms ernſtlichen Rufs.* Obiecit GVDIVS: *Wiederholtes Zeugniß gegen die Irrthümer der Quaecker*, Lipſ. et Laub. ann. CIↃIↃCCXLVIII. 8. *

§. XVII.

Maiore vero ingenii et eruditionis laude conſpicuus eſt IOSIAS MARTIN. ** Quum indigne ferret, VOLTAERIVM multis criminationibus Quakerorum res adfeciſſe, vt illas depelleret, luci expoſuit: *A letter from one of the people call'd Quakers to Francis Voltaire*, Londi-

ni

* Horum ſcriptorum eriſticorum notitiam ſuppeditant *act. hiſtor. eccleſ.* vol. IX. p. 621. ſqq. et vol. XIII. p. 918. ſqq.

** De illo egit cl. ALBERTI *loc. cit.* p. 23. ſqq.

ni ann. CIↃIↃCCXL. 8. Eadem epiſtola Gallice conuerſa prodiit ann. CIↃIↃCCXLV. 8. Confutauit vero illam beatus WEISMANNVS in diſſertat. *de typo nouiſſimo ſocietatis trementium ex Beni. Holme et Ioſia Martin. delineato*, Tub. ann. CIↃIↃCCXLVI.

§. XVIII.

Quakerorum coetui adſcriptum ſe eſſe, profitetur, num vere, an ſimulate, ignoramus, ELWALLVS, qui nonnullis ineptis libellis contra veritatem religionis Chriſtianae pugnare, auſus eſt. Exſtat: *Sermon preché dans la grande aſſemblée de Quakers de Londres par le fameux frere E. Ellwall, dit l'inſpire, traduit de l'anglois*, Londini ann. CIↃIↃCCXXXVII. Praeter hanc orationem, impietate naturaliſtarum refertam, alia ipſa tribui ſolent; * at quantum nobis videtur, dubia et incerta fama.

§. XIX.

Collegiantium in foederato Belgio coetum qui pro familia anabaptiſtarum habent, ** ſine dubio

* Conf. *biblioth. Britannique* tom. XXIII. p. 214. et Tom. XXVIII. p. 482.

** Horum hiſtoriam ſtatumque nemo rectius deſcripſit; quam b. RVES in laudato libello de *Mennonitis* p. 267. Adde IO. LAVR. MOSHEMIVM in *inſtitut. hiſtor. eccleſ.* p. 1016. ſqq. Ex vtriuſque commentariis emendari ea oportet, quae CYPRIANVS *compend. hiſtor. eccleſ.* libr. III. cap. 7. p. 251. de illis dixit.

bio discedunt a veritate. Originem potius ex turbis Arminianis duxit, auctoribus tribus fratribus VAN DER KODDE; siue CODDAEIS, hominibus litterarum rudibus inimicisque controuersiarum. Hinc composita est collegiantium gens ex hominibus, cuiuscumque sint religionis. Admittunt omnes, qui scripturam sacram pro Diuino libro habent, moresque ad praecepta illius formare studeant; siue de Christo aliisque doctrinae Christianae recte; siue erronee sentiant. Dispersi sunt, huic coetui adscripti, in vrbibus et vicis Hollandiae Frisiae et Westfrisiae. Instituunt quibusuis mercurii et solis diebus conuentus, quos *collegia* adpellari cupiunt, et in illis, quum ipsi doctores ordinarios repudiant, cuiuis permissum est, modo mas sit, quae de loco scripturae sacrae noui federis, ad illustrandum proposito, meditatus est, proferre, ceteris, publice de dictis ferre sententiam.

§. XX.

Nonnihil differunt collegiantes Hollandici a Groninganis. Illi quotannis bis Rhenoburgum commeant, ibique sacra coena vtuntur, a qua neque illos excludunt, qui nondum baptismi ritu fuere initiati. Qui volunt, eodem sacro lauacro lustrantur, ritu immersionis seruato. Vt sodales se ab aliorum conuentibus abstineant, olim requirebatur, nostro aeuo cuiuis liberum, retinere partes, quas amplexus est. Maxima sen-

tiendi

tiendi libertas in cauſſa eſt, vt Sociniani in collegiantium tutelam ſe recipiant.

§. XXI.

Groningani; ſiue Friſii ſolemnes conuentus Leowardiae agunt. Habent ſuos doctores et presbyteros maioremque poſtulant in doctrina conſenſum. Hinc in illorum ſocietate Socini adfeclis nullus locus. Ceterum nullas inter hos eſſe poſſe controuerſias, quisque intelligit. Quae olim inter IOANN. BREDENBVRGIVM et FRANC. KVIPERVM fuit, pugna, ab hoc loco eſt aliena.

§. XXII.

Inſpiratorum * familia, quae in tractu Seuennenſi regni Galliae inter miſeram horrendisque vexationibus adfectam Hugonottarum gentem orta, ann. CIↃIↃCCVI. in magnam Britanniam migrauit annoque CIↃIↃCCXII. et conſequutis in Germania multas excitauit turbas, morte

* Quinam de his ſcripſerint, laudauit pater meus in *der Einleitung in die Religionsſtreitigk. auſſer der E. L. K.* tom. I. p. 652. et tom. IV. p. 1153. et ven. BAVMGARTENIVS in *dem Abris einer Geſchichte der Religionsparth.* p. 252. Ea, quae in Galliæ ab illis geſta fuerunt, luce egent, quam illis collectio monimentorum, quae in Belgio nunc paratur, certo adferet. Poſtrema inſpiratorum in Germania fata illuſtrantur in *den aufrichtigen Extracten aus dem allgemeinen diario der wahren Inſpirationsgemeinden*, CIↃIↃCCXXXVII. ſqq.

te tandem IO. FRIDERICI ROCKII exſtincta fuit.

§. XXIII.

Ex his coetibus recentiore aetate nulla ciuitatem Chriſtianam magis turbauit, ſecta *Herrnhuthanorum.* Pater eius, NIC. LVDOVICVS, *comes a* ZINZENDORF, ex illuſtriſſima ſtirpe procreatus, lucem vidit Dreſdae ann. CIↃIↃCC. In paedagogio Halenſi litteris dedit operam: poſtea ſe in academiam Vitebergenſem contulit fecitque itinera in Belgium et Galliam. Domum redux, in collegium eorum cooptatus fuit, qui in regenda Saxonia electoris a conſiliis ſunt: officium tamen hoc poſtea depoſuit. Poſtquam cepit, ſibi colligere coetum et ad augendum illum varia ſuſcepit itinera, vagus fuit et nullibi locum habuit, in quo conſtans ſedem figeret. Anno CIↃIↃCCXXXIV. Sundiae puerorum magiſtrum in domo mercatoris egit. An. CIↃIↃCCXXXVII. Berolini a IABLONSKIO epiſcopus fratrum Bohemorum ordinatus fuit. Ann. CIↃIↃCCXXXIX. et CIↃIↃCCXLI. bis in Americam migrauit. Ann. CIↃIↃCCXLIII. Rigae in cuſtodiam traditus eſt. Viuit nunc, quantum nouimus, Londini.

§. XXIV.

Ab ineunte aetate in eo omnes curas fixit, vt nouam formaret eccleſiam. Multos igitur excogitauit errores, quos in ſcriptis tradidit. In his, praeter ſingulares orationes ſacras, quas breuitatis ſtudio omittimus, eminent:

I. *Ca-*

I. *Catechiſmus.* Triplex vero exſtat doctrinae Zinzendorfianae epitome, quae hoc titulo inſigniri ſolet. Breuiſſima eſt libellus: *lautere Milch der Lehre von Ieſu Chriſto*, ann. CIↃIↃCC-XXIII. 8. Maior: *gewiſſer Grund chriſtlicher Lehre nach Anleitung des einfæltigen Catechiſmi Lutheri*, cum praefatione MELCHIOR. SCHESSERI ann. CIↃIↃCCXXV. et CIↃIↃCCXXXVI. 8. prodiit. Licet vterque vitiis non careat; leuiora tamen ſunt, ſi cum iis comparantur, quibus ſcatet catechiſmus, nomine totius ſocietatis Herrnhuthanae editus. Prioris editionis, quae Buding. ann. CIↃIↃCCXL. 16. emiſſa eſt, haec eſt inſcriptio: *Probe eines Lehrbüchelgens, vor die ſogenannten Brudergemeinen*; poſterioris, immutatae quidem; ſed non emendatae: *die andere Probe, ſo wohl die Grundlehren der evangeliſchen Gemeinen, die man ſeit dreyhundert Iahren die Brüder nennet; als ihren uebrigen Verſtand von der heiligen Schrift, in Frag vnd Antwort zu faſſen*, an. CIↃIↃCCXLII. 16. Comitem ZINZENDORFIVM illius eſſe auctorem, vix eſt, cur dubites. Errores illius notarunt: CHRISTIAN. MAVRIT. KROMAYERVS, GOTTF. SCHVLZIVS, ven. IO. HERM. BENNERVS, IO. GOTTL. CARPZOVIVS.*

II. *Col-*

* Vid. patris mei *hiſtor. catechet.* BVDDEI *theologiae catechetic.* praemiſſam, p. 161. ſqq. vbi et *catechiſmum* IO. BECHTELII, eidem ſectae adſcripti,

II. *Collectio hymnorum.* Huius generis librum quum ter edidisset comes, quippe ann. CIↃIↃCCXXV. CIↃIↃCCXXVII. et CIↃIↃCCXXXI. * tandem adornauit eam editionem, quae a societate Herrnhuthana vsu fuit recepta. Prodiit ann. CIↃIↃCCXXXIV. et XXXVII. 8. auctaque fuit XII. supplementis (*Anhængen*) et quatuor additamentis (*Zugaben*) continetque carmina, quae pias, religiolas et pudicas aures non possunt non offendere. Hinc necesse fuit, vt omnes, qui contra erroneas sectae huius opiniones pugnarunt, ad castigandam poetarum Herrnhuthanorum petulantiam studia sua conferrent:

III. Editio bibliorum germanicorum *Ebersdorfensis*, quae ann. CIↃIↃCCXXVII. 4. auspiciis comitis in lucem emissa fuit, additis obseruationibus IO. ANDR. ROTHII, sacerdotis Bertholsdorfensis. Senatus sacer Dresdensis opposuit illi: *Kürzliche; doch nœthige Warnung für demienigen, so in dem Ebersdorfischen Bibeldruck als anstœssig angemerket worden:*

IV. Interpretatio librorum noui foederis Germanica. Primi voluminis haec est inscriptio: *eines abermaligen Versuchs zur Uebersetzung der historischen Bücher neuen Testaments --- erste Probe,*

memorat, qui Philadelphiae in America ann. CIↃIↃCCXLII. lucem vidit.

* De hac editione vid. patris *Einleitung in die Rel. Str. der E. L. K.* part. V. p. 721. sqq.

he, Budingae ann. CIↃIↃCCXXXIX. 8. secundi: *eines--- der Lehr vnd prophetischen Bücher*--ib. eod. Talis est haec versio, vt impium comitis erga scripturam sacram animum aeque ac summam rerum diuinarum ignorantiam vbiuis prodat. Inter illos, qui luculenter id demonstrarunt, eminent: beatus FRIDERICVS ANDR. HALLBAVERVS et b. IO. FRIDERICVS BERTRAMVS, qui *Theophili a veritate* nomen adsciuerat. Vtrique respondere voluit comes in *den Erinnerungen wegen seiner ersten Probe der Vebersetzung des neuen Testaments*, Lipsi. an. CIↃIↃCCXXXXI. 8. Sed ineptis excusationibus quum vteretur sententiasque proferret, scriptoribus θεοπνεύστοις aperte iniurias, id, quod expetiit, consequi non potuit. * Nec melior est versionis editio secunda Buding. CIↃIↃCCXLVI. 8.

V. *Bedenken vnd besondere Sendschreiben in allerhand practischen Materien.* Prima pars ann. CIↃIↃCCXXXIV. 4. prodiit, quam nonnullae aliae sequutae sunt:

VI. *Sendschreiben an Ihro Kœnigl. Maj. von Schweden, betreffend sein vnd seiner Gemeine Glauben vnd Bekæntnis*, ann. CIↃIↃCCXXXV. fol. et oct. Edidit hanc confessionem comes, vt aliis persuaderet, se consentire cum *Augustana confes-*

sione,

* Vid. MICH. LILIENTHALII *fortgesetzte theologische Biblioth.* p. 967. sqq. vbi plures viros doctos laudauit, qui huic versioni se opposuerunt.

sione, cuius ordinem in illa conscribenda seruauerat: *

VII. *Inhalt derienigen Reden, welche zu Berlin gehalten worden*, ann. CIↃIↃCCXXXVIII. Binae sunt harum orationum partes, prior illarum, quae ad mulieres, posterior, quae ad mares habitae sunt:

VIII. *Ieremias, ein Prediger der Gerechtigkeit*, ann. CIↃIↃCCXL. 8.

IX. *Siegfrieds bescheidene Beleuchtung des vom Hrn. D. Baumgarten-- gefælleten-- Vrtheils vber die Evangelisch-Mæhrische Kirche*, ann. CIↃIↃCCXLIV. Postquam vener. BAVMGARTENIVS** de re Herrnhuthana ediderat responsum, idque contra nonnullas criminationes defenderat, *** vt comes responderet, hanc commentationem emisit. Confutauit eam ven. BAVMGARTENIVS. ****

X. *Die gegenwærtige Gestalt des Kreutzreichs Iesu in seiner Vnschuld*, ann. CIↃIↃCCXLVI. 4. Publico nomine quidem societatis Herrnhuthanae exarata est haec apologia; sed non est caussa dubitandi, nisi omnia; pleraque tamen comitis manu esse composita:

XI. Περὶ ἑαυτῶν, das ist: *naturelle Reflexiones vber*

* Vid. patris libr. cit. p. 623. sqq.
** In *den theolog. Bedenken* tom. I. p. 123. sqq.
*** *Praefat.* part. III. **** Tom. IV. num. 24.

vber allerhand Materien. Plures huius collectionis exstant particulae, 4.

XII. *Der evangelisch-mæhrischen Kirchendiener -- Gewissensruge*, Gorlic. ann. CIↃIↃCCXLIX. 4. Dubitatur, hoc opusculum auctore ZINZENDORFIO prodiisse; probabile tamen est, eum ad id ornandum de suo haud pauca contulisse:

XIII. *Ein vnd zwanzig Discurse vber die Augsp. Confession*, ann CIↃIↃCCL. 8.

XIV. *Sammlung œffentlicher Reden von dem Herrn, der vnsere Seligkeit ist*, Lipsi. CIↃIↃCCXLIV. 8. 2. vol. Hac Sylloge exhibentur orationes, in America septentrionali recitatae. Inscriptio auctoris nomen sic indicat: *von dem damaligen euangelisch lutherischen Inspectore vnd Pastore zu Philadelphia*, hoc est, ZINZENDORFIO: *

XV Collectio orationum sacrarum, cui generalis titulus praemissus est: *Zwey vnd dreyssig einzele Homilien, oder Gemeinreden*, ann. CIↃIↃCCXLIV. sqq.

XVI. XXXIV. *Homilien vber die Wundenlitaney*, CIↃIↃCCXLVII. 8.

XVII. IX. *œffentliche Reden vber wichtige Materien, gehalten zu Londen*, Gorlic. CIↃIↃCCXLVI. 8.

XVIII. *Der œffentlichen Gemeinreden im Iahr*

* Conf. *act. historic. eccles.* vol. IX. p. 898. et vol. XI. p. 956.

CIↃIↃCCXLVII. *erſter Theil*, ann. CIↃIↃCC-XLVIII. *zweyter Theil*, ann. CIↃIↃCCXLIX.

XIX. *Die an den Synodum der Brüder in Zeyſt - - gehaltene Reden*, an. CIↃIↃCCXLVII. 8.*

§. XXV.

Quum inſtituta ſit oratio de libris Herrnhuthanis, ex quibus notitia doctrinae illorum poteſt adquiri, conſultum videtur, antequam ad alias huius argumenti partes progrediamur, Zinzendorfianis alia addere monimenta, itidem ab adſeclis huius coetus, maxime ad cauſſam ſuam agendam, conſcripta. Qualia ſunt:

I. *Vnpartheyiſche Nachricht von der Gemeine zu Herrnhuth in Oberlauſitz*, Sleſuic. ann. CIↃIↃCCXXXVII. 8. Editio altera ann. CIↃIↃCCXLII. 8. lucem vidit:

II. *Büdingiſche Sammlungen einiger in die Kirchenhiſtorie einſchlagender ſonderlich neuerer Schriften.* Ephemeridum harum tria volumina inde ab ann. CIↃIↃCCXL. 8. prodierunt.

III. ISAACI LE LONG, coetus reformati Amſte-

* Haec ſunt praecipua comitis ZINZENDORFII monimenta. Qui noſtro aeuo vitas theologorum enarrare adgreſſi ſunt, illuſtris MOSERVS et SCHMERSALIVS cetera ſcripta quoque perſequuti ſunt. Exſtat quoque WOLTERSHAVSII *vita Zinzendorfii*, ann CIↃIↃCCXLIX. ſed breuis eſt; nec ſatis adcurate ſcripta. Plura ex illis monimentis diſci poſſunt, quae poſtea memorandi locus erit.

Amſtelodamenſis paſtoris, libellus: *Godts Wonderen met zyne Kerke*, ann. CIↃIↃCCXXXV. 8.

IV. ALB. SINCERI - - *Heimleuchtung der bisherigen D. Baumgartiſchen - - Beſchuldigungen*, Francof. et Lipſ. ann. CIↃIↃCCXLVII. 8. Auctorem WEISSIVM adpellari, conſtat. Inficeto opuſculo oppoſiti fuere libelli bini: *vorlaeufige Antwort auf die neueſte vngeſchliffene Schrift eines Herrnhuthers wider den Herrn D. B.* auctore cel. MEIERO, ann. CIↃIↃCCXLVII. 8. et lepida fabula: *Eine wunderſchoene Hiſtorie von dem geboernten Siegfried dem Zweyten*, ann. CIↃIↃCCXLVII. 8. quam cl. LANGIVM compoſuiſſe ferunt:

V. *Nothdürftiger Nachklang auf Io. Phil. Freſenii vorlaeufige Antwort*, ann. CIↃIↃCCXLVIII. 8. Confutatus eſt libellus in dem *vngeſtimmten Nachklang* ann. CIↃIↃCCXLVIII. 8.

VI. *H. H. v. D.* (hoc eſt, DE DAMNITZ,) *Sendſchreiben über die Maehriſchen Brüder*, Gorlic. ann. CIↃIↃCCL. 8. Reſponſum tulit in *H. L. v. R. Sendſchreiben - - über die Defenſion der Maehriſchen Brüder*, Francof. et Lipſ. ann. CIↃIↃCCL. 8.

VII. IO. PETSCHII - - *Vnterſuchung der Glaubwürdigkeit der - - - Entrevuen - - Timothei Veinn.* Lipſ. et Gorlic. ann. CIↃIↃCCL. 8. Pugnat contra VOLKIVM, de quo poſthaec diceimus:

VIII. GOTTH. AVG. SPANGENBERGII

Darlegung richtiger Antworten auf mehr als 300 Beſchuldigungen gegen den Ordinarium Fratrum, ann. CIↃIↃCCLIII. 4.

IX. GVIL. FRIDER. IVNGII *der in dem Gr. von Z. noch lebende vnd lehrende, wie auch leidende vnd ſiegende D. Luther.* Francof. ann. CIↃIↃCCLIII. 4.

§. XXVI.

Nimis fere longum foret, ſectae Herrnhuthanae ſcribere hiſtoriam. Satis erit praecipua eius capita perſtringere, maxime quum aliorum diligentia ea omnia collecta et expoſita ſunt, quae huc pertinent. * Parua fuere vniuerſae ſectae initia. Ex reliquiis fratrum Bohemorum, qui in Mora-

* Exſtant nonnulli libelli, quibus hiſtoria Herrnhurthana enarratur; ſed maximam partem parum momenti, parumqne vtilitatis habent. Quare ſatis eſſe putamus, eos lectori commendare, de quorum fide et induſtria nequit dubitari. Quae a ſocietatis initio vſque ad annum ſeculi noſtri XXXVIII. geſta ſunt, ſedulo expoſuit pater in *der Einleitung in die Religionsſtreitigk. der E. L. K.* vol. V. p. 598. ſqq. quae vero poſthaec contigerunt, ſeruato temporis ordine, copioſe et adcurate traduntur in *actis hiſtorico-eccleſiaſticis*, quorum quotquot exſtant, volumina comparari oportet. His addi poſſunt: ven. IO. GOTTL. CARPZOVII *Religionsunterſuchung der boehmiſch- und maehriſchen Brüder von Anbeginn ihrer Gemeinen bis auf gegenwaertige Zeiten*, Lipſiae anno CIↃIↃCCXLV. 8. CHRISTIAN. EBERH. WEISMANNI *introduct.*

Morauia grauissimas pontificiorum vexationes experiebantur, decem homines ann. CIↃIↃCCXXII patrias sedes reliquerunt et in Lusatia prope Bertholsdorfium, vicum, qui in possessione comitis Zinzendorfii erat, aedificia nonnulla exstruere ceperunt in monte, cui nomen *custodiae Dei*, Germanice *Huth des Herrn*, vnde vox *Herrnhuth* casu quodam, satis noto, formata fuit, imposuere. * In tutelam eos suscepit comes auctoque ipsorum numero, formauit ibi coetum, qui licèt saepius declararet, se amplecti dogmata, in Augustana confessione tradita; nihilominus nouam et cultus publici, et sacrorum gubernandorum rationem aliaque instituta, quae religiosa esse cupiebat, introduxit, vt nimium discrimen inter colonos Herrnhuthanos et Lutheranos intercedere,

duct. in memorabil. eccl. secundis curis ornatae, vol. II. p. IIIo. sqq. ven. IO. PHIL. FRESENII *bewaehrte Nachrichten von herrnhuthischen Sachen*, cuius operis octo partes inde ab a. CIↃIↃCCXLVII. lucem viderunt: *Diarium Herrnhuthanum*, cuius prima pars anno CIↃIↃCCXLVIII. prodiit, ab aliis excepta. Quae particulares historiae dicî possunt, suo loco a nobis commemorabuntur. Fateri nos oportet, optandum esse, vt vir quidam doctus rerumque peritus ex tot monimentis, late dispersis, integram componat historiam huius familiae, cuius nullam similem vidit vniuersa Christiana ciuitas.

* Non inepte nonnulli monuerunt, *Herrnhuthi* nomen idem esse; ac *Samariae*.

dere, multi iudicarent. Omnia iſta ad maiuſ ſanctitatis ſtudium excitandum alendumque comparata eſſe gregemque iſtum ad innocentiam ſimplicitatemque aeui apoſtolici proxime accedere, quum aliis perſuaderent, facile accidit, vt ſenſim coetus ille caperet incrementa, cuius regendi curam ſibi committendam Zinzendorfius curauit. Ex memorabilis coloniae Herrnhuthanae fatis, quae hoc loco notari decet, obſeruandae inprimis ſunt binae legationes virorum illuſtrium et ſacri et ciuilis ordinis, quos Poloniae rex, Saxoniae elector, in ſtatum Herrnhuthanae familiae inquirere, iuſſit. Altera facta eſt ann. CIↃIↃCCXXXVI. altera ann. CIↃIↃCCCXLIX. Qualis vtriuſque fuerit exitus, quaeue legati regii de illa tulerint iudicia, nondum adcurate dicere licet, quum dubia et incerta videntur, quae hac de re iactare ſolent Herrnhuthani; altera vero pars nihil de confecto negotio in vulgus exire voluit. Nihilominus certum eſt, in vrbe *Barbienſi* nouas ſedes fratribus fuiſſe conceſſas.

§. XXVII.

Matrem hanc dixeris ſectae Herrnhuthanae, quae innumeras peperit filias. Etenim non ſatis fuit comiti, hos, qui Herrnhuthi coierant, ſuae poteſtati ſubieciſſe; ſed vt alibi ſimiles cogeret ſocietates, ad diſciplinae nouae formam redactas, omni opera eniſus eſt. Non ſolum ipſe hanc in rem fecit multas et longinquas peregrinationes et

vbiuis

vbiuis turbas excitauit; sed etiam per totam Germaniam eique vicinas Europae prouincias: immo in Americam et Groenlandiam sacras misit legationes. Initium illarum a. CIↃIↃCCXXXII. factum esse, ferunt; sed certum est, comitem iam ann. CIↃIↃCCXXVIII. in colligendis fratribus studia sua collocasse. Coetuum singulorum, quos constituit, narrare historiam, nimis longum fore, iudico. Pauca igitur notare liceat, quae inprimis digna sunt, quae posterorum memoriae mandentur.

§. XXIIX.

Post Herrnhuthanum nullus coetus maiorem celebritatem illo consequutus est, qui in prouincia comitis Isenburgici Budingensis coaluit. Ab hoc postquam Herrnhuthani impetrauerant, vt permitteret illis, in terris eius sedes figere atque multa promiserant, quae partim falsa erant; partim nec volebant; nec poterant implere, *Herrnhagam* condere ibique et *Marienbornae*, quae arx est, talem formare ecclesiam coeperunt, qualem esse, Zinzendorfius cupiebat, qui satis longo tempore ibi ipse commoratus est. At vero quum in dies non solum maiores excitarent turbas; sed etiam comiti Budingensi fidem et obsequium denegare, auderent, tandem res eo deducta est, vt memoratus comes Budingensis, GVSTAVVS FRIDERICVS, litteris publicis, d. XII. Febr. ann.

ann. CIↃIↃCCL. ſcriptis, Herrnhuthanos omnes e terris ſuis migrare iuberet. *

§. XXIX.

Simili ratione nouam coloniam in Holſatiam, Danis ſubiectam, ann. CIↃIↃCCXXXIX. deduxerunt, quae prope oppidum Oldeslo domos exſtruere cepit nomenque *Pilgerruh* adſciuit. At vero breui tempore talia molita eſt, vt regio mandato aut ſocietati cum Zinzendorfio renuntiare; aut ſedem mutare iuberetur. Ann. CIↃIↃCCXLI maxima pars diſceſſit ſeque eos, qui remanebant, pro fratribus non habere declarauit. ** Ab his colonis Pilgerruhenſibus excitatae quoque fuerunt Lubecae turbae, breui tempore compoſitae. ***

§. XXX.

* Vid. *hiſtoriſche Nachricht von den maehriſchen Brüdern zu Herrnhaag.* Haec narratio prodiit Francof. ann. CIↃIↃCCLI. iterumque edita fuit a ven. IO. PHIL. FRESENIO *parte octaua der bewaehrten Nachrichten von herrnhuthaniſchen Sachen.* Inaudita impietatis Herrnhuthanae continet exempla et inprimis apta eſt ad declaranda maxima mala, quae rei publicae adferat iſta ſocietas. Quum ad iſta omnia, quae Budingenſes obiecerunt, Herrnhuthani nihil dederunt reſponſi, de fide actorum nemo dubitabit.

** Vid. *act. hiſtoric. eccleſ.* tom. V. p. 239. 671. tom. X. p. 1034. et maxime *die hiſtoriſche Nachricht von den Maehriſchen Brüdern zu Pilgerruh bey Oldesloh, aus den Canzelleyacten zuſammengezogen*, in cl. MOLLERI *biblioth. Danic.* part. VII. p. 1. ſqq.

*** Vid. *act. hiſtor. eccleſ.* tom. IV. p. 246. tom. V. p. 236.

§. XXX.

Inter ceteras huius gentis familias *Ebersdorfiensis* in Variscia per longum tempus celebris fuit et anno CIↃIↃCCXLVI. arctiori vinculo cum Herrnhuthana coniuncta. Quantum vero nouimus, hoc ipsum vinculum disruptum Herrnhuthanique proscripti fuerunt.

§. XXXI.

Tristior quoque fuit eorum fortuna in prouinciis sereniſſimi Saxoniae ducis Gothani. Tentarunt quidem, in vico quodam, cui nomen est *Diedendorfium*; siue *Neugottern*, coloniam constituere, quam ipsi *Gnadenthal* adpellarunt. Sed quum praua tranquillitatique publicae infesta consilia eorum cognoscerentur, de illis numquam recipiendis facta est lex et promulgata. *

§. XXXII.

In *Silesia* domicilia collocare, augustissimus Borussiae rex illis permisit ann. CIↃIↃCCXLII. idemque confirmauit litteris, Berolini d. VII. Maii ann. CIↃIↃCCXLVI. scriptis; additis tamen legibus, ad quas rite obseruandas illi obstricti essent. Has tamen saepius quum violassent, in illos animaduer-

236. vbi quoque notitia controuersiae suppeditatur, quae ven. CARPZOVIO, cum IO. GEORG. WAIBLINGERO, qui se Herrnhuthanorum pastorem esse, profitebatur, intercessit.

* Conf. *act. historico-eccles.* vol. VIII. p. 801.

aduerſum eſt ac ſeuerius mandatum, vt ne προσηλύτας colligerent. *

§. XXXIII.

Quo maiorem ſpem conceperat comes, futurum eſſe, vt in *Liuonia* et *Curonia* adquirat ſibi ſectatores et amicos; neque illi impar erat euentus, ita vt fere vniuerſa prouincia ab illis turbaretur; eo grauius tulit, cura et prouidentia ſenatus ſummi, qui imperatricis Ruſſiae nomine rempublicam gubernat, omnia illius conſilia irrita facta eſſe ſuamque familiam ibi exſtinctam. **

§. XXXIV.

In Belgio, maxime *Amſtelodami*, *Iſſelſteinii* et *Zeiſtae* coetus ſuos coegerunt Herrnhuthani. Senatum Amſtelodamenſem eccleſiaſticum illis ſe oppoſuiſſe editaque ann. CIↃIↃCCXXXIX. *epiſtola paſtorali* auditores ſuos eſſe adhortatum, vt ab illis cauerent, inter omnes conuenit; neque id caret dubitatione, nonnullos ex doctoribus reformatis cauſſam eorum ſuſcepiſſe agendam. *** Qualis noſtra aetate huius ſectae in prouinciis foederati Belgii ſit ſtatus, parum compertum habemus.

§. XXXV.

* Vid. ibid. vol. VI. p. 388. vol. XIII. p. 948. ſqq.

** Vid. *act. hiſtoric. eccleſ.* vol. XIV. p. 949. et vol. XV. p. 311. et IO. LODERI *kurzen Bericht von der vergangenen Herrnhutherey in Liefland* in cl. BIEDERMANNI *alten vnd neuen von Schulſachen* tom. p. 196.

*** Vid. *act. hiſtor. eccl.* tom. II. p. 816. tom. III. p. 436. cet.

§. XXXV.

Sueciae regnum non prorſus omitti fas eſt. Quamuis enim ſtudio purioris doctrinae conſeruandae, cuius laude doctores illius ſummopere commendantur, acciderit, vt Herrnhuthani numquam in illo familiam colligere poſſent; memorabile tamen eſt, eos omni opera et variis artibus elaboraſſe, vt id, quod expetebant, conſequerentur. Ann. CIↃIↃCCXLI. et ann. CIↃIↃCCXLVIII. ARVID GRADINVM ſuecum, qui legatione quoque Conſtantinopolitana functus erat, in patriam miſerunt, vt procerum animos fratribus conciliaret; ſed exitus exſpectationi illorum prorſus fuit contrarius. *

§. XXXVI.

Felicius res ſuas adhuc in *Anglia* geſſerunt. Coetus collegerunt tum Londini; tum in aliis regni et prouinciarum Americanarum ciuitatibus ſibique nonnullorum ex proceribus fauorem adiunxerunt. Recentiore tamen aetate grauiſſimi viri, quanta pericula et rei publicae et ſacrae ex moliminibus Zinzendorfianis immineant, bene perſpexerunt editisque ſcriptis illis ſe oppoſuerunt. Commoda, quae nobis oblata eſt, vti libet occaſione, praecipua monimenta, quae in vtramque

* Conf. *act. hiſtor. eccleſ.* vol. XIV. p. 539. ſqq. vol. XV. p. 542. ſqq.

que partem compoſita, lucem vidiſſe, ſcimus; enumerandi. Memoramus igitur:

I. *Acta fratrum vnitatis in Anglia*, Londini ann. CIↃIↃCCXLIX. fol. Collectio haec ab ipſis Herrnhuthanis facta, ea exhibet, quae in comitiis cum illis acta ſunt, et alia monimenta, quibus cauſſam ſuam agere ſtudent:

II. GILB. TENNENTII, qui inter Whitefieldii amicos in America locum obtinet, *ſome account of the principles of the Moravians, chiefly collected from ſeveral converſations with count Zinzendorf and from ſome ſermons preached by him at Berlin and publiſhed in London.* Opuſculum prodiit Londini ann. CIↃIↃCCXLIII. 8. et fortaſſe omnium, ab Anglis contra Herrnhuthanos ſcriptorum, primum eſt:

III. *The contents of a folio hiſtory of the Moravians - - with ſuitable remarks.* Auctor eſſe dicitur IO. WESLAEVS, itidem ex methodiſtarum grege:

IV. GEORG. WHITEFIELDII *expoſtulatory letter to count Zinzendorf.* Duplex huius epiſtolae exſtat interpretatio Germanica:

V. ANDREAE FREY, qui ex baptiſtis per aliquod tempus inter Herrnhuthanos egit, *true and authentic account of the Moravians*:

VI. HENRICI RIMII *candid narrative of the riſe and progreſs of the Herrnhuthers, commonly called Moravians or vnitas fratrum.* Narratio haec itidem Germanice conuerſa fuit: acceſſit

eius-

eiusdem *supplement to the candid narrative*, Londin. ann. CIↃIↃCCLV. 8.

VII. Eiusdem illustris viri *call on count Zinzendorf the author and advocate of the sect, of Herrnhuthers:*

VIII. *A modest plea for the brethern* et

IX. *The ordinary's remarks upon his being treated in controversy.* Vtrumque opusculum praefationibus IO. GAMBOLDI munitum et RIMIO oppositum fuit:

X. *Maxims and theological Ideas --- extracted out of count Zinzendorf's discourses:*

XI. *The Moravians compared and detected*, Londini ann. CIↃIↃCCLV. 8. Opusculum ab episcopo exaratum Herrnhuthanis magnum periculum adtulit. Obiecerunt ei

XII. *A letter from a minister of the Moravian branch of the vnitas fratrum*, Londini ann. CIↃIↃCCLV. 8.

XIII. *Queries humbly proposed to the right reverend and right honorable count Zinzendorf.* Londini ann. CIↃIↃCCLV. 8.

XIV. THOMAE GREENII *dissertation on enthusiasm*, Lond. ann. CIↃIↃCCLV. 8. *

XV. *An exposition, or true state of the matters, objected in England to the people known by the*

* Confer. vener. BAVMGARTENII *Nachricht von merkw. Büch.* vol. VII. p. 178. et ven. KRAFTII *theol. Biblioth.* vol. XI. p. 365. sqq.

the name of vnitas fratrum, Londini anno CIↃIↃCCLV. Praefationem praemisit et obseruationes adscripsit IOANNES HVTTŌNVS; opusculum ipsum vero ZINZENDORFIVS composuit.

§. XXXVII.

De legationibus Herrnhuthanorum *Groenlandica* et *Americanis* supra meminimus nos exponere. In Pensiluania fere omnes coetus variarum partium turbarunt; neque exiguum coegerunt sectatorum numerum. *

§. XXXVIII.

Ea, quae in Herrnhuthanis iure suo reprehendi solent, partim ad *doctrinam*, quam tradunt; partim ad *cultum Dei* aliasque praxes, ab illis introductas, referuntur. Difficillimum est, *dogmata* adcurate enarrare totque sententiarum erronearuin condere *σύστημα*. Commune enim illis hoc est cum ceteris fanaticis, vt teneant opiniones falsas, absonas et nullo vinculo inter se coniunctas. Satis ergo fuit viris doctis, colligere illas et, quantum recedant a puriore doctrina, in scriptura sacra explicata, luculenter ostendere. Inter eos, qui, nisi omnes; maximam tamen partem placitorum Herrnhuthanorum enarrarunt, commendari oportet:

* Conf. ven. FRESENII *bewaehrte Nachrichten* vol. III. p. 87. sqq. et ven. BENNERI *Gestalt der Herrnhutherey in ihrer Schalkheit*, part. IV.

IO. GOTTLOB. CARPZOVIVM in libro de *religione fratrum Bohemorum*, cuius supra mentionem feci:

SIGISM. IAC. BAVMGARTENIVM, in *consiliis theologicis*, itidem laudatis:

CHRISTIAN. MAVRIT. KROMAYERVM, cuius bini exstant libelli, alter: *Untersuchung vnd Widerlegung der -- Zinzendorfischen Probe eines Lehrbüchelgens*, Argentor. ann. CIↃIↃCCXLI. 8. alter: *Iodomoria Zinzendorfiana*, 2. vol. CIↃIↃCCXLIII. 8.

IOACH. LANGIVM in *commentatione de vita sua*, Hal. ann. CIↃIↃCCXXXXIV. 8. edita, p. 251. sqq.

CAROL. GOTTLOB. HOFFMANNVM, cuius tres libelli commemorandi sunt: primus: *Anzeige der herrnhuthischen Grundirrthümer in der Lehre von der heiligen Dreyeinigkeit vnd Christo*, Viteb. CIↃIↃCCXLIX. 8. secundus: *fortgesetzte Anzeige - - - in der Lehre vom Gesetz vnd Euangelio*, ib. eod. tertius: *dritte vnd letzte Anzeige - - in der Lehre von der heil. Schrift, Rechtfertigung, Sacramenten vnd letzten Dingen*, ib. ann. CIↃIↃCCLI. 8.

IO. GER. SCHVTZIVM, *cuius Herrnhuthianismus in nuce* systema huius doctrinae exhibere studet. Prodiit Hamburg. ann. CIↃIↃCCLI. 8.

FRID. ANDR. HALLBAVERVM tum in *commentat. de exploratione falsorum apostolorum*,

Ienae ann. CIↃIↃCCXL. 4. tum in *dissert.* qua *Zinzendorfiana dogmata rei Christianae esse noxia*, ostendit, Ienae ann. CIↃIↃCCXLVIII.

IO. PHILIPP. MEHRLINGIVM in *dem Beweis, daß der Hr. Gr. von Zinzendorf in allen Hauptartikeln der Christl. Glaubenslehre hoechst-irrig sey*, Francofurti ann. CIↃIↃCCXLIX. 8.

IO. ALBERTVM BENGELIVM in *dem Abriß der sogenannten Brüdergemeine*, part. I. p. 12. sqq.

Venerandum patrem meum in *dem theologischen Bedenken von der Beschaffenheit der herrnhuthischen secte*, edito Francof. anno CIↃIↃCCXLVII. a ven. IO. PHIL. FRESENIO et in linguam Suecicam translato a cl. IOANNE KVMBLAEO, Stockholm. a. CIↃIↃCCXLIX. 8. Notauit quoque singulos Herrnhuthanorum errores in *der Einleitung in die polemische Gottesgelahrh.* libr. II. cap. 5.

§. XXXIX.

His omnibus denique nuper accessit AVG. ANTON. RHODIVS, qui Groshennersdorfii inter ipsos Zinzendorfii sectatores maximam vitae partem transegit atque inauditis vexationibus ab illis adfectus, tandem munere sacro priuatus et eiectus, nuper ad conrectoris prouinciam Prenzlouiae gubernandam admotus fuit. Non potest non vera sectae huius doctrina ei perspecta esse; nec defuit officiis, quae ab illo ciuitas Christia-

na

na exſpectat; ſed cepit vberius dogmata exponere, quae familia Herrnhuthanorum amplectitur. Quo ſpectat eius liber: *Schlüſſel zu Herrnhuth; oder entdecktes Lehrgebaeude der Herrnhuther*, Berolini ann. CIↃIↃCCLV. 8. Vniuerſae controuerſiae nouam formam produci, intelliget, quisquis haec legerit, & confitebitur, licet multos deteſtandos errores *Zinzendorfianos* notauerint viri docti, quos laudauimus; plerosque tamen veras huius ſectae ſententias, omni opinione magis abominandas, non ſatis eſſe adſequutos et licet hoſtes ſint, melius tamen ZINZENDORFII dicta interpretatos, quam mens eius poſtulat. Haec quoque eſt cauſſa, cur abſtineamus ab enarrandis, Herrnhuthanis erroribus, vſque dum cl. RHODIVS abſoluerit opus, quod integrum vt lucem videat, ſummopere optamus.

§. XL.

Difficilius eſt, cultus publici rationes deſcribere, qui ab Herrnhuthanis peragitur, non quod dubia eſſe, putamus, quae de illo referuntur; ſed quod variae eſſe et mutabiles illius partes videntur. Quamuis ab aliis ita iudicari cupiat comes, vt regimen ſacrorum penes presbyteros & coetus vniuerſos eſſe, credant, nihilominus vix dubitari poteſt, papalem dignitatem auctoritatemque eum inter ſuos obtinere. Iactant ſucceſſionem epiſcopalem, inde ab apoſtolorum aeuo deducendam. Poſtulatur a ſociis obſequium ſeruile. Non ſo-

lum imperat illorum animis; sed etiam dominium quasi in opes eorum sibi adrogauit. Sacramenta non negligunt; formam tamen, ea administrandi, adeoque partes illorum, a Deo mandatas, turpiter immutarunt. Parum abest, quin pedilauium in eorum numerum referant. Abutuntur pacis osculo et fraternitatis nominibus. Nec mulieres in ecclesia tacere iubent. Seuerior est disciplina ecclesiastica erga illos, qui resistere ausi fuerint voluntati ecclesiae, hoc est, comitis, laxior vero erga alios, licet scelera commiserint & praecepta Dei violauerint. Neque omittendae sunt sortes, quibus alios misere fallunt. Omnia denique ita sunt comparata, vt partim sanctitatis specie; partim obtinendae, de rebus Diuinis libere sentiendi, potestatis spe; partim vitae iucundae et otiosae exspectatione incauti fallantur. Institutis eorum, quae ad matrimonium spectant, nihil turpius cogitari potest.

§. XLI.

Haec aliaque, quae ad mores et inaudita facinora ZINZENDORFII aliorumque, qui coetum gubernant, simpliciores enim et plebeios homines ab horum suspicione facile absoluemus, pertinent, qui curatius scire cupit, legat, praeter ea virorum doctorum monimenta, quae adhuc commendauimus:

I. IO. PHILIPPI FRESENII *bewaehrte Nachrichten von herrnkutbischen Sachen*, cuius prae-

praeclari operis *octo* exſtant partes, quatuor voluminibus comprehenſae:

II. IO. PETR. SIGISM. WINCKLERVM in *des Hrn. Gr. von Z. Vnternehmungen in Religionsſachen*, Lipſ. ann. CIↃIↃCCXL. 8. in *Hrn. Gr. von Zinz. Anſtalten vnd Lehrſaetzen*, ib. eod. et in *der Widerlegung des Z. Bann- vnd Ablaß-Briefes*. Lipſ. ann. CIↃIↃCCXLIII. 8.

III. ALBERTI VOGET *Oorſprony en voortgang van de falſche myſticke Goodgeleerdheit*, Vltrai. ann. CIↃIↃCCXL. 8.

IV. *Geheimen Briefwechſel des Hrn. Gr. von Z. mit den Inſpirirten.* Epiſtolas, antea ab inſpiratis in *diario*, ſupra memorato, editas et additamentis auctas in vnum corpus collegit cl. IOANN. FRICKIVS, Ienae CIↃIↃCCXLI. 8.

V. *Hrn. A. G. vernünftigen - - Bericht - - veber die neuaufgekommene herrnhuthiſche Gemeine*, Francof. ann. CIↃIↃCCL. 8. Scriptorem epiſtolae eſſe ANTON. GROSIVM, inter omnes conuenit.

VI. *Prodromum diarii Herrnhuthani* Erfurt. ann. CIↃIↃCCXLVII. 8. et *diarium Herrnhuthanorum, das iſt, - - Erzehlung, was einem euangeliſchen Lehrer mit den herrnhutiſchgeſinnten Seelen begegnet*, Erfurt. ann. CIↃIↃCCXLVIII. 8. ſqq. Niſi omnia nos fallant, reu. THIERBACHIVS, qui Vinariae ſacrum munus administrat, huius opuſculi auctor eſt:

VII. ALEX. VOLCKII *entdecktes Geheimnis der Bosheit der Herrnhuthischen Secte*, Francof. ann. CIↃIↃCCLI. 8.

VIII. HENRIC. IOACH. BOTHII *zuverlaessige Beschreibung des nunmehro ganz entdeckten herrnhuthischen Ehegeheimnisses*, cuius pars prior Berolini ann. CIↃIↃCCLI. 8. posterior ann. CIↃIↃCCLII. lucem vidit.

§. XLII.

Quo grauius vero conatus, nouas religiones hominibus persuadendi, Zinzendorfiani rei euangelicae adferunt periculum; eo magis laudari oportet curam summorum imperantium, in eo collocatam, vt illud auertant & impudentiam hominum huius generis cohibeant. Testantur hanc in rem mandata, in Dania, Suecia, Borussia, Liuonia, Saxonia, Holsatia aliisque Germaniae prouinciis et vrbibus sapientissime edita. Collectio illorum exstat, cuius haec est inscriptio: *Sammlungen von einigen wider die Herrnhuther ergangenen - - - Befehlen und Verordnungen*, Viteb. ann. CIↃIↃCCXLVIII. et CIↃIↃCCXLIX. 4.

§. XLIII.

Nec theologi pii et cordati neglexerunt officii sui partes, quae in confutandis erroribus et comprimenda, sanctissimam doctrinam deprauandi, licentia positae sunt. Memorari inprimis oportet nonnulla *responsa*, quae theologorum in academiis collegia, de re Herrnhuthana rogata, de-

dederunt. Omnium primum certe fuit *Tubingense*, scriptum ann. CIↃIↃCCXXXIII. quo, coetum Herrnhuthanum cum doctrina Lutherana consentire: retineri posse disciplinam ecclesiasticam, ab illo receptam rectequc eum pro addicto Augustanae confessioni et societatis vinculo cum his, qui eidem nomen dant, coniuncto haberi, declaratur. Harum litterarum scriptorem fuisse, beatum BVLFINGERVM, constat. * Quo magis vero illae Herrnhuthanis placuere, eo aegrius alii ferebant, hos illis manifesto abuti ad alios fallendos. Postulat tamen aequitas, vt viros doctos excusemus, quos, certum est, a ZINZENDORFIO eiusque adsecIis fuisse deceptos. ** Alias quoque ann. CIↃIↃCCXLVII. ad sereniss. mum Virtembergiae ducem exararunt litteras, quibus, melius edocti, longe a priore diuersam de doctrina et coetu Herrnhuthanorum protulere sententiam. ***

§. XLIV.

Saxonicorum theologorum iudicia aeque digna sunt, quae hoc loco commemorentur, maxi-

* Conf. *act. historico-eccles.* vol. III. p. 245. et vol. IV. p. 419. et ven. patris *Einleit. in die Rel. Str.* vol. V. p. 665. sqq.

** Vid. ven. PFAFFII *diss. de consiliis theologicis*, Tubing. anno CIↃIↃCCXLVIII. et beati WEISMANNI *introduct. in memorabil. histor. eccles.* vol. II. p. 1108. sqq.

*** Vid. *act. histor. eccles.* vol. XII. p. 971. sqq.

me quum Herrnhuthani nonnumquam de illorum fauore audacius gloriati sunt. *Lipsienses* ann. CIↃIↃCCXLVII. rogati: num homines, erroribus Herrnhuthanorum infecti, a sacris muneribus recte arceantur? haud dubitanter adfirmarunt, recte arceri. * Alibi ** quoque Suecis significarunt, se doctrinam Herrnhuthanorum erroneam reputare. Ad eosdem *Vitebergenses* d. XII. Ian. ann. CIↃIↃCCXLIX. responsa dederunt, se persuasum habere, Zinzendorfianos in fundamentalibus fidei articulis a veritate discedere, neque pro sociis Augustanae confessionis agnosci posse. ***

§. XLV.

Tandem quum ven. IOANN. LEONARD. FROEREISENIVS breuem Germanicam commentationem, qua *Zinzendorfium* Muhamedi simillimum esse ostendere, suscepit, Francof. et Lipsiae ann. CIↃIↃCCXLVIII. typorum formis describendam curaret, adiecit litteras, quas ad eum exararunt ordines theologorum Altorfinus, Giessensis, Goettingensis, Halensis, Ienensis, Vitebergensis et ministrorum sacrorum collegia, Augustanum, Hamburgense, Lubecense, Noribergense, Ratisbonense, et Vlmense iisdemque ad vnum omnes de grauissimis erroribus, a ZINZENDORFIO

* Vid. ven. FRESENII *Nachricht.* part. VII. p. 238.
** Vid. *act. historico-eccles.* vol. XIV. p. 703.
*** Conf. ibid. p. 707. sqq.

FIO dissеminatis, conquesti sunt. Praeter haec alii quoque superſunt libri, a praestantissimis viris ad confutandas falsas sectae Herrnhuthanae opiniones compositi, quorum quidem notitiam, qui cupiunt, facile sibi comparabunt ex *actis historico-ecclesiasticis*. Ad haec lectores ablegamus, ne iusto longior nostra de hoc fanaticorum genere sit oratio.

§. XLVI.

Inaudita impietatis exempla dedit factio *Ronsdorfiensis*. Auctor illius exstitit ELIAS ELLERVS, consul ciuitatis Ronsdorfiensis, in ducatu Montano sitae. Qui postquam secundis nuptiis *Annam de Buchel*, pistoris filiam duxerat, anno CIↃIↃCCXXVI. aliis persuadere cepit, hanc vxorem spiritu Diuino agi et oracula edere. Vlterius dein progressus, horrendo scelere, se ipsum Deum et Christum esse, prodidit omniaque scripturae sacrae de Christo effata de se ipso interpretatus est. Hinc non solum fanaticas opiniones adsectis suis tradidit; sed etiam, quum filios Dei nulla lege teneri omniaque illis libera et perimissa esse, doceret; sceleratum vitae genus introduxit. Mirum fuit, sacrorum reformatorum ministrum, WVLFINGIVM sectae nomen dedisse omniaque tanto studio potuisse celari, vt demum ann. CIↃIↃCCL. rei notitia ad alios perueniret, quum KNEVELSIVS, sacri ordinis candidatus, qui in eadem familia per aliquod tempus vixerat, col-

legio

legio sacerdotum, quod *Waldae* conuentum egerat, eam nuntiaret. ELLERVS eodem anno repentina morte decessit totaque factio exstincta fuit. *

§. XLVII.

In pago *Brugglensi*, reip. Bernensi subiecto, ann. CIↃIↃCCXLV. turbae a nonnullis fanaticis excitatae sunt. Principem inter illos locum tenebant fratres, CHRISTIANVS et HIERONYMVS KOLERVS, qui Diuinos vates se esse et binos testes, in apocalypsi promissos, dicebant aliosque ad crimina committenda seducebant, quum itidem a piis ne posse quidem peccari, statuerent. Patria pulsi, post breue tempus redierunt. HIERONYMVS captus, licet se nuntium mittere istis erroribus, testaretur; nihilominus d. XV. Ian. CIↃIↃCCCLIII. combustus fuit. Aegre nonnulli tulerunt, Heluetios nouo exemplo demonstrasse, se haereticos capitali poena adficiendos esse, iudicare, neque ipsi diffitemur, melius sibi iudices consuluisse, si gratiores mortis caussas adtulissent, quum illae neutiquam e longinquo repeti debuissent. **

§. XLVIII.

* Legas libellum: *Greuel der Verwüstung an heiliger Staette; oder Geheimnisse der Bosheit der Ronsdorfer Secte*, Francof. et Lipſ. ann. CIↃIↃCCL. 4. *acta historico-eccles.* vol. XIV. p. 903. et ven. KRAFTII *theolog. Biblioth.* vol. VI. p. 134.

** Vid. *das entdeckte Geheimnis in der Brugglersecte.* Binae opusculi a KYBVRZIO scripti, extant partes,

§. XLVIII.

Accedimus ad hos, qui fanaticas impiasque ſententias amplexi ſunt; nullos tamen collegerunt coetus, licet fuerint, qui illis adſentirentur. Principem locum inter eos ſcelere ſuo obtinet IO. CONR. DIPPELIVS, cuius ea de cauſſa mentionem facere libet, quod praeter nomen eiusque aduerſus SPENERI amicos odium nihil de illo tradidit b. CYPRIANVS. Infelix ille homo Frankenſteinii, vrbe Haſſiaca, ann. CIↃIↃCLXXIII. lucem vidit litterisque ſanctioribus in academia Gieſſenſi et Argentoratenſi dedit operam. Sed variis quum erroribus capi ſe paſſus eſſet omnique ſpe, ſacri muneris capeſſendi, deiectus, ad chimicam artem exercendam animum adpuliſſet: ab illo tempore varia et inconſtans fuit eius fortuna, modo in Germania; modo in Belgio; modo in Suecia et Dania vagatus, ſaepius in vincula coniectus, tandem in arce Vitgenſteinenſi d. XXV. April. a. CIↃIↃCCXXXIV. animam efflauit. Ingentem numerum monimentorum impietatis ſuae reliquit, quibus primaria Chriſtianae religionis fundamenta, quae in dogma-

tes, Turic. ann. CIↃIↃCCLIV. 8. *act. hiſtorico-eccleſ.* vol. XVII. p. 906. ſqq. 1031. ſqq. *neue Beytraege von alten vnd neuen theolog. Sachen*, ann. CIↃIↃCCCLIV. p. 127. ſqq. ven. BAVMGARTENII *Nachr. von merkw. Büchern* vol. IV. p. 177. ſqq. et 447. ſqq. et ven. KRAFTII *theol. Biblioth.* vol. X. p. 514.

dogmate de satisfactione Christi posita sunt, euertere conatus est. At longa eorum enumeratione non opus esse videtur; sed sufficit, collectionis operum eius meminisse, quae, a CANZIO, fratre clarissimi Tubingensium theologi., adornata Berleburg. ann. CIↃIↃCCXLVII. tribus voluminibus 4. luci exposita fuit. En illius titulum: *Erocfneter Weg zum Frieden mit Gott vnd allen Creaturen, durch die Publication der saemtlichen Schriften Christiani Democriti.* * Nec possumus a nobis impetrare, vt singulos errores, quos DIPPELIVS protulit, enarremus; aut praedicemus praestantissimos viros, qui in illis confutandis laudabilia studia sua collocarunt, siquidem ista omnia rectius ex aliis scriptoribus cognosci possunt. **

§. XLIX.

Inter sectatores DIPPELII, quorum haud pauci adhuc supereſſe, dicuntur, praecipui sunt:

1) ERIC. MOLINVS, a. CIↃIↃCCXXXIX. e Suecia eiectus. Scripsit: *Die wahre vnd lebendige Kraft des Kreuzes Iesu Christi* a. CIↃIↃCCXL.

2) IOANNES HOLLMANNVS et SVENO ROSEN itidem Sueci, quorum ille errores retractauit, hic patriam relinquere maluit. ***

3) HERA-

* Vid. ven. BAVMGARTENII *Nachricht von einer hallischen Biblioth.* vol. II. p. 415. sqq.

** Conf. patris *Einleit. in die Religionsstreitigk. der E. L. K.* vol. II. p. 718. sqq. et vol. V. p. 998. sqq.

*** Vid. *acta historico-eccles.* tom. V. p. 204. 749. sqq.

3) HERACLITVS quidam, cui b. ISRAEL GOTTL. CANZIVS dissertationem opposuit, Tubing. ann. CIↃIↃCCXXVIII. 4. De EDELMANNO et KOEPKENIO suo loco diximus.

§. L.

ERNESTVM CHRISTOPHOR. HOCHMANNVM, cuius nulla facta est a CYPRIANO mentio, non possumus silentio praetermittere. Ortus ex familia Lauenburgica et Noribergae educatus, anno CIↃIↃCXLIII. Halae cepit fanaticas excitare turbas atque ab illo tempore tristissima fata subiit. Qualis fuerit vitae eius exitus, historici non prodiderunt. Opuscula, quae edidit, quam graui lapsu a veritate discesserit, satis demonstrant. A Sabellianismo proxime abfuit. Paedobaptismum repudiauit. Hominem in hac vita eo peruenire posse, docuit, vt nihil peccaminosi in eo supersit. Sacro ordini inprimis infensus fuit, nemini licere ratus, docendi officio fungi; nisi ipsi id a Christo creditum fuerit. Ἀνδρογυνίαν paradisiacam finxit similiaque fanatici capitis deliria. *

§. LI.

* Conf. patris *libr. memorat.* tom. II. p. 776. sqq. et cel. GEORG. ANDR. WILLII *Nürnbergisches Gelehrten-Lexicon* vol. II. p. 139. sqq. Idem doctissimus vir in *particula secunda commercii epistolici Noribergensis* non solum nonnullas epistolas HOCHMANNI primus in publicam lucem produxit; sed etiam adiecit p. 106. sqq. GVSTAVI PHILIPPI MOER-

§. LI.

Suo exemplo IO. CHRISTIANVS SEITZIVS docuit, qui semel a recta via declinat, in grauissimo illum versari periculo, ad foediſſimos errores prolabendi. Primum enim accessit partibus eorum, qui *separatistarum* nomine significantur: deinde indifferentisimum crassiorem defendit: porro fanaticorum somnia de regno millenario amplexus est: denique in Belgio ad Socinianos accessit. *

§. LII.

HENR. ANTON. ROEMELINGIVM notauit CYPRIANVS. ** Maiores turbas excitauit IO. MAXIMILIAN. DAVTHIVS, qui enthusiastico spiritu actus, varia edidit vaticinia; nec paucos in suas partes adduxit. *** Simillimus illi fuit IOANN. TENNHARDIVS eiusque amicus, TOBIMOERLII et IVSTINI WETZELII *relationem in cauſſa Hochmanni*, ad senatum illustris reip. factam scriptamque d. XXXI. Octobr. ann. CIↃIↃCCVII. ex qua multa peti possunt, quae ad cognoscendam HOCHMANNI doctrinam faciunt.

* Vid. ven. PFAFFII *introduct. in hist. litterar. theolog.* part. II. p. 342. patris *Einleit. in die Religionsstr. der E. L. K.* vol. II. p. 780. et vol. V. p. 1032. *die frühaufgelesene Früchte* ann. CIↃIↃCCXL. p. 114. et b. WEISMANNI *introduct. in memorabil. hist. eccles.* vol. II. p. 562.

** Vid. patrem ibid. vol. II. p. 783. et vol. V. p. 1045.

*** Vid. eumdem vol. II. p. 795. et vol. V. p. 1051.

TOBIAS EISLERVS; * nec liberi fuere a fanaticis opinionibus CASP. ERN. TRILLERVS et IO. HENR. REIZIVS.

§. LIII.

In eodem numero fuit VICTOR CHRISTOPH. TVCHTFELDIVS, qui in agro Magdeburgico Diuinae voluntatis fuit interpres; fanaticis tamen opinionibus abreptus, trifliora fata expertus eſt, poſtquam Halae multas turbas excitauerat. Poſthaec in variis vrbibus commoratus eſt; neque obſcure prodidit, ſe haud alienum eſſe ab impietate Dippeliana. **

§. LIV.

Eadem de CHRISTIANO FENDIO, qui Francofurti vixit et nonnullorum imperii procerum a conſiliis fuit, dicere licet. Primum fanaticos errores amplexus eſt: poſtea vlterius progreſſus, horrendas criminationes in ſanctiores doctrinas de trinitate et de infinita ſatisfactione Chriſti protulit, vt ſine iniuria inter Socini ſectatores numerari conſueuerit. ***

§. LV.

Tacemus de IOANNE SAM. KARLIO, BERN. PETRO KARLIO, SAM. KOENIGIO,

* Vid. eumdem vol. II. p. 810. et 1053.
** Vid. eumdem tom. II. p. 847. tom. V. p. 1063.
*** Vid. eumdem, vol. V. p. 1071.

GIO, CHRISTOPH. SEBACHIO, GEORGIO KLEINNICOLAI, SALOM. BACHIO et nonnullis aliis, qui modo erroneas de rebus Diuinis tradidere sententias; modo institutis religiosis rem Christianam perturbarunt; modo odio aduersus cultus sacri bene constituti rationes effecerunt, vt fanaticis adnumerarentur.

§. LVI.

Recentissima aetate numerum eorum sine dubio auxit IO. HEYNIVS, qui varia doctoris tum scholastici; tum ecclesiastici munera in prouinciis Brandenburgicis administrauit finiuitque mortalitatem ann. CIↃIↃCCXXXXVI. Opuscula, quibus somnia sua protulit, haec sunt:

I. *Specimen cometologiae sacrae, duabus dissertationibus propositum, quarum altera de diluuio, per cometam orbi inducto; altera de praeludio iudicii extremi, orbi per cometam exhibendo.* Vtraque dissertatio Brandenburgi separatim edita fuit; coniunctim vero denuo luci exposita Lipsiae ann. CIↃIↃCCXLII. 4.

II. *Sendschreiben an einen Freund, worinne gezeiget wird, daß der Stern, der den Weisen aus Morgenland erschienen, ein Comet gewesen,* Brandenburgi ann. CIↃIↃCCXLII. 4.

III. *Zweytes Sendschreiben - - worinne von seiner zweytaegigen oeffentlichen Disputation über das Vorspiel des iüngsten Gerichtes vnd von andern hieher gehoerigen Sachen Nachricht gegeben wird,* ann. CIↃIↃCCXLII. 4.

IV. *Be-*

IV. *Betrachtung über die Cometen, die Sünd-fluth vnd das Vorſpiel des iüngſten Gerichts* - - Berolini ann. CIↃIↃCCXLII. 8. Praefationem huic libro praemiſit cel. GOTTSCHEDIVS.

V. *Geſammlete Briefe von den Cometen, der Sündfluth vnd dem Vorſpiel des iüngſten Gerichtes*, Berol. ann. CIↃIↃCCXLV. 8. Collectio eſt epiſtolarum, quibus cauſam ſuam defendit et aduerſus celeberrimos viros, quos ei contradixiſſe, poſthaec monebimus, reſponſa dedit:

VI. *Diſſertat. ſcholaſtica, vniuerſalem Iudaeorum conuerſionem adhuc futuram contra M. I. E. Schubertum ſiſtens*, Brandenb. a. CIↃIↃCCXLIII. 4.

VII. *Sendſchreiben an Hrn. - - - Baumgarten, worinne D. Iſaac Watts Meynungen vom Schlaf der abgeſchiedenen Seelen beſcheiden geprüfet ſind*, Francof. et Lipſ. ann. CIↃIↃCCXLVI. 8.

§. LVII.

Dogmata *Heyniana*, quae a veritate aliena ſunt, parum differunt ab his, quae omnibus indifferentiſtis ſunt communia. Infenſus eſt ſtudio doctrinae purioris, quod ignominioſo nomine ὀρθοδοξίας irridet. Nonniſi duos eſſe fidei articulos, contendit, alterum, quo amor veri; alterum, quo amor virtutis commendatur. Hos qui amplectitur, certe ſalutem aeternam ſperare poteſt, ſiue alioquin recta; ſiue falſa de aliis rebus religioſis ſentiat; neque Ariani quidem e numero eorum, qui veram conſti-

tuunt eccleſiam, eximi debent. Error eſt Rahtmannianus, ſi quis virtutem ſupernaturalem in ſcriptura ſacra ineſſe, dixerit. Peccatum originale exiſtit; ſed inhaeſiuum, nullum imputatum. Poſitum eſt in hominis poteſtate, adpetendi bona, vbi illa ipſi declarantur. Nulla ergo opus operatione ſpiritus ſancti ad producendam fidem, quam quilibet in ſe ipſe producere poteſt. Sacramenta hanc ſolam habent virtutem, vt meritum Chriſti nobis in mentem reuocent. Paedobaptiſmum ſcriptura ſacra nonniſi probabiliter docet. In ſacra coena nihil, quod naturae; aut noſtrae intelligentiae fines ſuperet. Anima humana quidem eſt immortalis; ſed poſt mortem manet in corpore; aut prope illud et dulci ſomno recreatur. Tum nec ſui; nec rerum aliarum eſt conſcia. Duplex erit mortuorum reſurrectio: regnum millenarium: conuerſio Iudaeorum vniuerſalis: aeternitas poenarum infernalium dubia et incerta.

§. LVIII.

Pleraque haec ſomnia relicta fuere HEYNIO; nec quisquam illis adſenſit. Ficta vera fabula de ſomno animarum poſt mortem alios ſe commendauit, maxime nobili viro, ROSEIO, qui magna ſtudia ad illam exornandam adhibuit; nec ſibi temperauit, quo minus LVTHERVM noſtrum eiusdem erroris magiſtrum laudaret, ſedulo confutatus a clariſſimo Ienenſium philoſopho, IO. STEPH. MVLLERO.

§. LIX.

Ex illis, qui Heynio contradixerunt, commendari oportet: DAN. FINKIVM, SAM. ANASTAS. TOELLNERVM, P. A. V. SPRENGELIVM, cel. IO. BERNARD. WIDEBVRGIVM, CHRISTIAN. GOTTLIEB. GVTTMANNVM, CHRISTIAN. LEBR. STROHBACHIVM, CHRISTIAN. GOTTLIEB. SEMLERVM, IAC. KOCHIVM, ven. IO. ERN. SCHVBERTVM, CHRISTIAN. LVD. OBBARIVM aliosque.

§. LX.

Tandem ad historiam fanaticorum spectant, quae cum BORSENIO quodam et DAV. BAERIO * in Holsatia: cum BLESSINGIO, LINDBLADIO, BERNEGAVIO et STROHKIRCHIO ** in Suecia: IO. LVD. SARTORIO *** in Silesia acta fuere.

SECTIO VI.

DE CONTROVERSIIS CVM INDIFFERENTISTIS.

§. I.

Neminem, speramus, ignorare, non omnes eodem loco haberi posse, qui recte indifferentissimi

* Vid. *act. historic. eccles.* tom. V. p. 653. sqq.
** Vid. ibid. tom. IV. p. 392. tom. V. p. 201.
*** Vid. ibid. tom. IX. p. 469. sqq. tom. XII. p. 103. sqq.

tiſmi adcuſantur. Vt ea, quae de illis dicere decreuimus, rectius capiantur, moneri oportet lectores, *partim* omnes atheos, deiſtas & naturaliſtas neceſſitate quadam cogi, indifferentiſtica principia amplecti; *partim* neque illas ab omni erroris ſuſpicione liberari poſſe, qui dum intempeſtiue pacis inter varias religionis Chriſtianae partes diſſentientes inſtaurandae conſilia ingreſſi ſunt, leuioris, immo nullius momenti eſſe, quae animos ſeparent, controuerſias, ſibi perſuaſerunt; *partim* denique maximam partem fanaticorum ſimili ratione eadem falſa opinione captam eſſe: id quod noſtra aetate vel vnico Herrnhuthanorum exemplo comprobatur. At vero quum de illis, qui ad primam et tertiam claſſem referuntur, copioſe verba fecimus; et importunos orbis pacificatores, qui Romanenſes cum proteſtantibus; aut ex his Lutheranos cum Reformatis conciliare ſtuduere, alibi commemorandi, locus erit, pauci ſuperſunt, qui craſſioris indifferentiſmi culpam contraxerunt.

§. II.

Ex Germanis noſtris primo loco commemorari oportet IACOB. FRID. LVDOVICI, magnis meritis, quibus legitimam diſciplinam tum in Halenſi; tum in Gieſſenſi muſarum ſede illuſtrauit, conſpicuus. Adſcito enim nomine ERICI FRIEDLIEBII breuem libellum luci expoſuit: *Unterſuchung des indifferentiſmi religionum, da man dafür haelt, es koenne ein ieder ſelig werden,*

er habe einen Glauben; oder Religion, welche man wolle, ann. CIↃIↃCC. 8. Certe breuis summa est errorum, quibus nihil interesse, statuitur, num quis veram; an falsam doctrinam amplectatur. Inter illos, qui contra LVDOVICVM pugnarunt, eminet GOTTL. WERNSDORFIVS, cuius *breuis et neruosa de indifferentismo religionum commentatio*, Viteb. ann. CIↃIↃCCXVI. 8. prodiit. *

§. III.

Grauius lapsus est, peius certe impietatis exemplum dedit ADAMVS BERNDIVS. Is postquam in academia Lipsiensi magistri dignitate tituloque ornatus litteras philosophicas docuit, sacro ordini in eadem ciuitate fuit adscriptus munereque in templo Petrino orationes sacras recitandi, functus est, vsque dum de illo discedere ob errores, quos tradiderat, iuberetur, licet se aberrasse a veritate, declarauerit. Vitam post haec Lipsiae egit priuatam eamque deposuit ann. CIↃIↃCCXLVIII. d. V. Nou. **

§. IV.

Ficto CHRISTIANI MELODII nomine vsus, scripsit librum: *Einfluss der goettlichen Wahrheiten*

* Conf. patris *Einleit. in die Relig. Str. auſſer der E. L. K.* vol. V. p. 280.

** BERNDIVS ipse de *vita sua* dedit commentarios, in binas partes distributos. Add. illustr. IO. IAC. MOSERI *Lexicon der ietzlebenden lutherischen und reformirten Theolog.* tom. I. p. 67. sqq.

heiten in den Willen vnd in das ganze Leben des Menſchen ann. CIↃIↃCCXXVIII. Nemo fortaſſe errores indifferentiſticos ſubtilius BERNDIO ornauit; nec poſſumus temperare nobis, quin nonnullas falſas opiniones, ab illo prolatas, perſequamur:

I. Triplex eſt animae humanae facultas: prima intellectus; ſecunda voluntas; tertia libertas:

II. Omne iudicium, quod de re ferunt homines, non intellectus; ſed libertatis eſt opus.

III. E. idem eſt adfirmandum de veritate; et de errore. Vtraque enim operatio eſt iudicium.

IV. Haec eſt cauſſa, cur veritas; aut error hominibus imputetur: illa praemiis, hic poena dignus habeatur.

V. Ex negligentia diſcriminis, quod inter varios gradus cognitionis humanae eiusque certitudinis intercedit, multae et inanes exortae ſunt *λογομαχίαι*.

VI. Exemplum praebet controuerſia Lutheranorum cum Pontificiis de certitudine ſalutis, ſiquidem hi negant, eſſe certitudinem mathematicam; illi vero exſiſtere moralem adfirmant:

VII. Principium diſciplinae moralis non hoc eſt, vt quod bonum ſit, adpetatur; et, quod malum ſit, fugiatur; ſed vt id adpetatur, quod quis bonum eſſe, credat et fugiatur, quod quis malum eſſe, iudicet:

VIII. Hinc omne vitium perinde et omnis virtus

virtus in iudicio posita, quod quisque de actionis bonitate; aut prauitate ferat:

IX. Porro sequitur, vt omnis voluntatis operatio a veritate; aut errore oriatur idque necessario et nulla sit voluntatis, post latum iudicium, libertas:

X. Nullum ergo peccatum per voluntatem admittitur:

XI. Doctrina euangelica absoluitur lege Christi de amore, quae ex Mosaicis omnibus sola fuit retenta:

XII. Passio Christi non solum remissionem peccatorum; sed etiam vitae sanctitatem habet scopum.

XIII. Spiritus sanctus est in omnibus hominibus, etiam in infantibus ante baptismum:

XIV. Hinc etiam gentiles credunt fide implicita; neque opus est fide explicita.

XV. Inter *credere in Christum* et *credere Christo* nihil est discriminis. Perinde vt fides saluifica a fide non saluifica nihil differt. Fiducia enim est effectus, non pars fidei:

XVI. Forma poenitentiae est, vt quis sciat, se esse peccatorem et irae Diuinae obnoxium. Fides non est pars; sed antecedens poenitentiae.

XVII. Doctrina Tridentinorum de incertitudine salutis est vera et salutaris.

XVIII. Possibile est, vt homo perfectissimo amore Deum amplectatur:

XIX. Idem et virtutes omnes necessario oriuntur ex agnitis de Deo veritatibus:

XX. Nihilominus haud eſt error fundamentalis, ſi quis doceat, fidem eſſe ſine amore Dei:

XXI. Immo ſatius eſt, nexum inter fidem et pietatem negare et vtramque, tamquam res diſtinctas, ad ſalutem neceſſarias, requirere:

XXII. Simili modo vitia neceſſario ex erroribus practicis conſequuntur hique theoreticis longe peiores ſunt:

XXIII. Errores theoretici, quales Pontificii amplectuntur, non damnant. Qualis eſt doctrina de iuſtificatione per bona opera, quam ſtudioſe. Melodius excuſat: immo defendit. Eamdem operam in aliis erroribus Pontificiorum exornandis perdidit:

XXIV. Patrum doctrina ſalutem gentilium ſine notitia Chriſti docet et quidem recte.

§. V.

Quum liber iſte in lucem prodiiſſet, viri pii et cordati iuſtiſſimum dolorem ceperunt ex conatibus Melodianis veritatem ipſam euertendi; nec ſolum ſenatus ſacer Dresdenſis librum legere prohibuit; ſed etiam in auctorem eius merito animaduertit. Acceſſerunt quoque praeſtantiſſimi doctores, qui, vt periculum a re Chriſtiana auerterent, doctis diſputationibus, grauiſſimos errores a MELODIO traditos, confutarent. *

§. VI.

* Vid. patris *Einleit. in die Religionsſtr. der E. L. K.* vol. III. p. 534. ſqq. vbi non ſolum hiſtoria controuer-

§. VI.

Nec sine causſa in hunc numerum referri solet vir illustris IO. MICHAEL DE LOEN. Pacis enim, inter tot partes Christianae ciuitatis restituendae per longum tempus egit consilia eademque data occasione declarauit. * Tandem maiore cura et diligentia omnia exposuit, quae ad conciliandos dissensus de rebus Diuinis necessaria et adcommodata esse, censeat. Prodiit enim ann. CIↃIↃCCL. LOENII libellus: *die einzige wahre Religion, allgemein in ihren Grundsaetzen: verwirrt durch die Zaenkereien der Schriftgelehrten: zertheilt in allerhand Secten: vereiniget in Christo*, in binas partes diuisus; nec solum in linguam Gallicam translatus; sed etiam ann. CIↃIↃCCLI. denuo litterarum formis exscriptus. Cum hoc coniungi oportet alia opuscula, tum a LOENIO; tum ab amicis eius exarata. Ex quorum numero memoramus:

I. *Des Hrn. von Loen gesammlete kleine Schriften.* In collectionis huius *parte secunda*, quae Francof. ann. CIↃIↃCCL. 8. lucem vidit, exstat *commentatio* XXXV. p. 480. sqq. de vnione protestan-

trouersiae narratur; sed etiam data opera dogmata MELODII confutantur.

* Sic ann. CIↃIↃCCXLVI. in *fasc.* I. *der freyen Gedanken zur Verbesserung der menschlichen Gesellschaft* p. 45. sqq. easdem sententias, quas postea apertius exposuit, haud obscure tradidit.

teſtantium, facilius inſtauranda, abrogatis doctorum controuerſiis: in tertia vero, ann. CIↃIↃCCLI. edita, *commentatio* X. de cauſſis, cur eiusdem cultus Diuini ſocietate coniungi debeant Lutherani cum Reformatis: XI. de religione rationali, ſecundum methodum ſeruatoris: XIII. de vnico conſtituendo fidei articulo. Adde ex volumine *quarto*, commentationes ſectionis ſecundae, *ſecundam* et *decimam:*

II. *Des Hrn. von Loen geſammlete kleine Schriften von Kirchen vnd Religionsſachen - - - herausgegeben von Oſterlaender*, Francof. ann. CIↃIↃCCLI. 8.

III. P. I. HOLLANDERI *Sammlung von Schriften vnd Auszugen, welche zu einer nachern Erkaentnis der einzigen wahren Religion vnd zur Vereinigung der Chriſten Anleitung geben koennen*, Francof. ann. CIↃIↃCCLII. 8. Hac collectione quum continentur etiam commentationes, quas ipſe LOENIVS ad cauſſam ſuam agendam compoſuit, eas quidem diſtincte enarrandi nulla eſt cauſſa:

IV. *Friedliebende Vorſchlaege nach den Grundwahrheiten der reformirten Religion*, Francofurti ann. CIↃIↃCCLI. 8.

V. *Ieſus der einzige Lehrer des Glaubens vnd der Seligkeit*, Francof. ann. CIↃIↃCCLI. 8.

VI. *Betrachtungen iüber das Buch; die einzige wahre Religion*, Hal. ann. CIↃIↃCCLI. Auctor huius opuſculi LOENIO longe moderatior eſt.

eſt. Neque omnem theologiae polemicae vſum repudiat; neque abrogari, ſuadet, ſacramenta. Nihilominus omni ſtudio LOENIVM tuetur.

VII. *Die einzige wahre Religion nach einem prüfenden Lehrbegrif*, Francof. ann. CIↃIↃCCLII. 8. Noua eſt collectio variarum de hoc argumento diſputationum. In nonnullis capitibus ſententiam quidem LOENIVS mutaſſe videtur; retinet tamen praecipuas opiniones, in quibus ipſa fundamenta templi pacis, quod exſtrui cupit, ſine dubio innituntur. Conſulto omittimus ea, quae ven. IO. DAV. VON HOVEN hanc in rem ſcripſit; neque illa, ſi vera fateri libet, ad hunc locum pertinent; nec conſilia eius *Loenianis* ex omni parte ſunt ſimilia.

§. VII.

Duplex vero genus eſſe videtur ſententiarum, quas LOENIVS tanto ſtudio aliis commendauit. *Aliae* quidem ipſi cum ceteris indifferentiſtis communes ſunt, qui, non ex naturaliſtarum caſtris prodeuntes, Diuinam ſcripturae ſacrae originem ideoque Chriſtianae religionis veritatem admittunt; ſed illius dogmata corrumpunt et deprauant. Summa doctrinae Loenianae haec eſt, nihil a Chriſto praeceptum, praeter fidem, qua Chriſtum ſeruatorem mundi eſſe, nobis perſuademus, et amoris ſtudium, quo mores ad voluntatem Dei componuntur. Cetera dogmata, licet ſummam habeant neceſſitatem, inter figmenta doctorum refert:

refert: discrimen inter articulos fidei fundamentales et non fundamentales intercedere, negat: maximum odium aduersus libros symbolicos et theologiam polemicam significat et omnem systematicam, sacras litteras tractandi, rationem tantum non absonam esse, iudicat.

§. VIII.

Aliae sententiae LOENIO sunt propriae et absoluuntur consiliis, quibus vtendum esse, credit, vt tot partes Christianae in vnum corpus tandem coalescant. Sententiae quidem, quibus quisque addictus est, siue verae sint; siue falsae, relinquantur liberae: singuli in societatem cultus publici coeant: ritus externi, in quibus nihil sit periculi, et imagines in templis retineantur: baptismi caerimonia conseruetur; abrogatis tamen abusibus, quibus exposita: sacra coena ex numero partium cultus publici eximatur, ita vt quilibet, prout lubitum fuerit, illa priuatim possit vti: ritus consecrandi matrimonia et sacerdotes; confessionis spontaneae; confirmandi catechumenos et vngendi moribundos, si visum fuerit, itidem retineantur: hierarchia sacra obseruetur; sublata tamen omni potestate, animis aliorum imperandi; nec proscribantur monasteria, vbi ad erudiendos iuuenes alendosque pauperes et studia vitae tranquillae et honestae excitanda fuerint adcommodata. Inprimis ab hoc negotio arceantur viri sacri ordinis et summi imperantes ad illud perficien-

ficiendum, vtantur suprema, quae penes illos est, potestate auctoritateque et animaduertant in eos, qui rixandi libidine abrepti, voluntati eorum se opponere ausi fuerint.

§. IX.

Facilis certe haec est via, animos, qui inter se dissentiunt, conciliandi; sed num iusta sit, num Diuinae voluntati consentanea, num vlli parti ex his quos, coniungi cupit LOENIVS, salutaris, facile iudicabunt, qui quantum intersit inter vera et falsa, quaeue verae doctrinae Christianae rationes sint, probe intelligunt. Nihilominus omnia ista, haud vulgari stili elegantia, exposita, apta sunt ad fallendos imprudentiores, maximopere si carent facultate, turpes inuestigandi errores, quos LOENIVS in exornandis ingenii sui commentis admiserat. Hinc laude digni habeantur, necesse est, viri docti et cordati, qui LOENII in ciuitatem Christianam impetus repellere et a criminationibus eius veritatem ipsam vindicare studuerunt. Quo loco numeroque sunt:

I. *Ernstliche Prüfung der allerneuesten Religionsmengerey; oder eines - - von Hrn. von Loen - - vorgeschlagenen Eintrachtstempels ohne Abendmal.* Francof. ann. CIↃIↃCCL. 8.

II. IO. HERMANNI BENNERI *entdeckter Vngrund der sogenannten einzigen wahren Religion*, Francof. ann. CIↃIↃCCLI. 8. eiusdemque celeberrimi viri *Antwort auf Hrn. von Loen Sendschreiben*, ibid. ann. CIↃIↃCCLI. 8.

III. *Hi-*

III. *Hiſtoriſche vnd dogmatiſche Anmerkungen über das Lehrgebaeude des Hrn. von Loen in der Schrift: Die einzige wahre Religion*, Hal. ann. CIↃIↃCCLI. 8. Scripſit has obſeruationes clariſſimus HIERONYM. DANIEL SCHLEISNERVS; erudita vero praefatione ornauit ven. BAVMGARTENIVS.

IV. IOACH. SAM. WEIKHMANNI binae commentationes elegantiſſimae, quibus *templum pacis - - nouo paciſicoque Loenii templo* oppoſuit. Vit. ann. CIↃIↃCCLI. et CIↃIↃCCLII. 4.

V. CAROL. GOTTLOB. HOFFMANNI commentat. *de abrogatione ſacrae coenae illicito medio irenico*, Viteb. ann. CIↃIↃCCLII. 4.

VI. SIGISM. IAC. BAVMGARTENII comment. *in quatuor ſymbola theotiſca* eiusdemque comm. *in theotiſcam verſionem ſymboli Athanaſiani.* Vtraque diſputatio, ingenio et eruditione venerabilis viri digna, lucem vidit, Halae ann. CIↃIↃCCLII.

VII. IO. BALTH. BERNHOLDI diſſertatio, qua *doctrina de ſacramentis noui teſtamenti thetice et polemice*, contra Loenium, *retractata* fuit, Altorf. ann. CIↃIↃCCLII. 4.

VIII. IO. IAC. PLITTII commentatio, *daß die Kindertaufe in der heiligen Schrift befolen vnd in der erſten chriſtlichen Kirche üblich geweſen*, Caſſell. ann. CIↃIↃCCLII. 8.

IX. IO. PHIL. GVIL. LVCKII *freundliche Erinnerungen über des Hrn. H. von Loen Buch.*

von

von der einzigen Religion, Francofurt. ann. CIↃIↃCCLI. 8.

X. IO. BVCHERI docta commentatio de *regimine ſacrorum non conuenienti vnionis medio*, quam, praeſide ven. WEIKHMANNO, in academia Vitebergenſi ann. CIↃIↃCCCLIII. publice defendit.

§. X.

Nec dubitamus, in cenſum indifferentiſtarum referre IO. PAVLLVM TRIERIVM. Dogmata certe, quae illi amplecti ſolent, manifeſto tradita ſunt in vaſto volumine, quod Francof. ann. CIↃIↃCCXLVII. 4. edidit, ita inſcripto: *Anmerkungen vber das Concordienbuch* * eademque maximam partem repetita in eiusdem *Anmerkungen vber den Heidelbergiſchen Catechiſmum*, Francofurti ann. CIↃIↃCCLIV. ** et in *praefatione* quam *excerptis ex Sam. Clarkii orationibus ſacris*, Iſenaci anno CIↃIↃCCLVI. Germanice editis, praemiſit.

* Conf. patris *praefat. in form. concordiae* p. 533. *libri concordiae*, ab illo editi.

** Vid. ven. KOECHERI *catechetiſche Geſchichte der reform. Kirche*, cap. VIII. §. 26. p. 341. ſqq.

SECTIO

SECTIO VII.

DE CONTROVERSIIS CVM PONTIFICIIS.

§. I.

Controuerſiarum, quarum notitiam ſuppeditare, animus eſt, duplex exſtat genus. Aliae enim pontificiis intercedunt cum proteſtantibus; ſiue Lutherani ſint; ſiue Reformati, aliae vero illis ſunt domeſticae. Has recte dixeris bella interna, illas externa. De vtrisque definite dicere decreuimus.

§. II.

Coetus Romanenſis doctores nondum de priſtino erga eos, qui purioribus ſacris addicti ſunt, odio quidquam remiſiſſe et omnem diligentiam hac etiam aetate in eo collocaſſe, vt modo errores ſuos tuerentur; modo veras ſententias earumque amicos impugnarent, multis exemplis conſtat et comprobatur librorum copia, quos illi doctrinae et fidei noſtrae emendatiori oppoſuere. Singulos enarrare, non ſolum nimis longum foret; ſed etiam nullam haberet vtilitatem. Quare hiſtorici officio, quod non quascumque res, ſed eas, quae poſterorum memoria haud indignae ſunt, huic mandari cupit, nos ſperamus eſſe ſatisfacturos, ſi arctioribus limitibus noſtram orationem circumſcribamus. Controuerſiarum, quas prote-

protestantes cum pontificiis adhuc gesserunt, tres libet constituere classes. *Prima* comprehendimus eos omnes, qui pro caussa Romanae doctrinae ita dimicarunt, vt aut omnia eius capita; aut singularia, in quibus aliquid est momenti, argumentis defenderent. In *secundam* referimus eos, qui callidis consiliis et simulato veritatis amore alios fallere et mollioribus dogmatum interpretationibus suspicione grauissimorum errorum coetum suum studuerunt liberare. *Tertiae* denique adscribimus nonnullos impudentissimos obtrectatores, qui expertes humanitatis, calumniis et iniuriis, tamquam milites leuissimae armaturae, castra nostra, quae Deus protegat, petere ausi fuerunt.

§. III.

Ex eorum numero, qui ad *primam* classem spectant, commemoramus primo loco IO. IAC. SCHEFFMACHERVM, Argentoratensi familiae Loiolitarum adscriptum. Is enim, licet nomen suum tacuerit, auctor est duodecim epistolarum, lingua Gallica exaratarum, quibus doctrina protestantium impugnatur. Inscriptio illarum haec est: *lettres d'un docteur Allemand de l'Universsité catholique de Strasbourg a un Gentilhomme Protestant.* Bina exstant volumina, Argentorat. ann CIↃIↃCCXXX. 4. in lucem edita. Quamuis vere dixeris, non solum nihil in illis fuisse adlatum, quod non centies fuerit dictum et centies confutatum; sed etiam scatere illas incredibilis ignorantiae speciminibus; nihilominus

 dicendi

dicendi ratio periculum, nescio quod, minari credebatur. Hinc ad repellendas criminationes tuendamque veritatis caussam accesserunt tum beatus CHRISTIANVS EBERHARDVS WEISMANNVS, cuius exstant: *fontes solutionum aduersus sex impedimenta, saluti protestantium aeternae obiecta*, Tubing. anno CIↃIↃCCXXX. 4. tum maxime venerabilis CHRIST. MATTH. PFAFFIVS. Primum edidit: *reponse a la lettre d'un theologien catholique de Strasbourg sur l'invocation des saints*, Basil. an. CIↃIↃCCXXXII. 4. Deinde integrum nostraque commendatione maius absoluit opus: *reponse aux douze lettres du P. Scheffmacher contre les protestans*, Francof. ann. CIↃIↃCCXXXIII. 4. adiecitque, postquam SCHEFFMACHERVS breue opusculum priori libello *Pfaffiano* oppositerat: *reponse à la defense du R. P. Scheffmacher, Iesuite de Strasbourg sur l'invocation des saints*, Francof. anno CIↃIↃCCXXXIII. 4. Denique omnia et PFAFFII et WEISMANNI scripta, SCHEFFMACHERO obiecta, in Germanicam linguam a IO. FRIDER. SCHOLLIO translata, iunctim prodiere Tubing. ann. CIↃIↃCCL. 8. Ex Reformatis ARMANDVM BOISBELEAV DE LA CHAPELLE suscepisse opus contra SCHEFFMACHERVM, nonnulli referunt; * num id vero lucem viderit, ignorare nos, confitemur.

§. IV.

* Vid. COLERI *biblioth. theolog.* vol. VII. p. 8.

§. IV.

Scheffmachero ſimillimus fuit FRANCISCVS SEEDORFIVS, eidem cum illo ſocietati adſcriptus in aula Palatina. Quum frater ſereniſſimi ducis Bipontini, FRIDERICVS, ad caſtra Romana tranſiret, SEEDORFIVS epiſtolas quasdam Gallicas in lucem emiſit, quibus ſe cauſſas, contendit, expoſuiſſe, cur is religiones maiorum deſeruerit. Breui illae Germanice conuerſae, prodierunt, ſic inſcriptae: *wichtige Briefe an der Durchl. - - - vber die ſtreitige Glaubenspuncte*, Prag. ann. CIↃIↃCCXLIX. 8. De his quidem eadem nobis eſt ſententia, quae de Scheffmacherianis; nec tamen prorſus indignae fuerunt, quae iuſtis argumentis conuellerentur. Ven. PFAFFIVS illis oppoſuit: *Widerlegung der zwoelf Briefe des Hrn. P. Seedorfs*, Tubingae an. CIↃIↃCCL. 8. Simili labore perfuncti ſunt bini viri docti, reformatis ſacris addicti. Alter, qui AELII LAELII nomine vſus eſt, ſcripſit tres *epiſtolas galeatas*, Germanice, Lipſiae ann. CIↃIↃCCLIII. 8. Ad primam dediſſe, meminimus, Vindobonenſem quemdam reſponſum; ſed id oculis vſurpare nobis nondum licuit. Alter typis exſcribi curauit: *Verſuch einer genauern Prüfung einiger Stellen aus den zwoelf Briefen Hrn. P. Seedorfs.* Brem. ann. CIↃIↃCCLII. 8. librum, magno eruditionis adparatu conſcriptum.

§. V.

Memorabilis inprimis eſt controuerſia Hil-

defiensis, qua de doctrina pontificiorum de sanctis, num mediatores ab illis habeantur, Christo vnico inter Deum hominesque μεσίτῃ adiuncti, fuit disceptatum. Etenim quum ven. IO. DIETERIC. WINKLERVS in oratione quadam sacra, pro concione habita et vna cum aliis, memoriae crucis mortisque Christi consecratis, anno CIↃIↃCCXLV. litterarum formis descripta, grauissimum errorem aduersariis nostris obiecisset, per calumniam id factum esse, nonnulli clamarunt et publicis monimentis suspicionem iniuriae, quam doctrina illa merito Christi aperte infert, a coetu suo dimouere, enisi sunt. Accidit praeter spem omnium bonorum, vt WINKLERI collega, IVST. MARTIN. GLAESENERVS odio et inuidia ductus, patronum se Romanensium gereret et scriptis publicis caussam eorum ita ageret, vt sine caussa bellum latius proferret et impudentius reuerentiae et obsequii officia, quae magistratus ab illo iure exspectauit, negligeret. Summa pertinacia eo se abripi passus est GLAESENERVS, vt postquam ex sententia illustris Iurisconsultorum ordinis, qui nostram academiam ornat, aeque ac theologorum et iurisconsultorum Lipsiensium sacro munere priuatus fuit, rem ad consilium aulicum Augusti imperatoris deferret. Mors tandem, qua is Vindobonae d. VIII. Aug. ann. CIↃIↃCCXLIX. obiit, vitae eius et liti finem imposuit. Numerus libellorum, qui de hac caussa in lucem exierunt, tantus

tus est, vt ab illis enarrandis abstinere nobis consultum videatur. Sufficit, eorum nomina recitare, qui in hoc bello stipendia meruerunt. Praeter WINKLERVM, tum contra pontificios, tum contra GLAESENERVM dimicarunt: IO. DAN. SCHEFFELIVS, CONRAD. HENRIC. PETROSILIVS, HENR. CONR. LEVEKOEN, ven. IO. CHRISTOPH. KOECHERVS, CHRISTIAN. FRID. KIRSCHNERVS, IO. MAVRIT. REINMANNVS, cel. IO. CHRISTOPH. HARENBERGIVS, BENIAM. BIELERVS, MART. GRVLICHIVS, AVGVST. CHRISTIAN. FAHSIVS et CHRIST. TEVBERVS. WINKLERO vero contradixerunt praeter GLAESENERVM: ISVERDINGIVS, Loiolita: FRANC. GVIL. ROBERTI, EIKENDORFIVS, vt de his, qui *ἀνωνύμως* scripserunt, taceamus. * Exstat quoque librorum, qui in vtramque partem compositi fuerunt, *συναγωγὴ*, cuius haec est inscriptio: *Der Hildesheimische Glaubensstreit; oder richtige Sammlung aller zwischen den Roemischcatholischen vnd Augspurgischen Confessionsverwandten in vnd ausser der Stadt Hildesheim über den Satz: Die Catholischen setzen dem einigen Mitler, Christo Iesu, noch andere an die Seite, pro vnd contra gewechselten vnd in oeffentlichen Druck gebrachten Streitschriften*, ann.

* Vid. *acta historico-eccles.* tom. X. sqq. vbi singula scripta studiose enarrantur.

CIↃIↃCCXXXXVII. 2. vol. 4. sed quum auspiciis GLAESENERI esset instituta, non potuit fieri, quin manca esset. Quare nec sufficit ad cognoscendam integram veramque controuersiae historiam.

§. VI.

His addi debent:

I. Controuersia de *cultu sanctorum*, quae tum ven. IOANN. RVD. KIESLINGIO, theologo Lipsiensi celeberrimo, cum clarissimo abbate Bononiensi IO. CHRYSOSTOMO TROMBELLIO intercessit; * tum Erfurti innouata fuit, vbi IO. CHRISTOPHOR. HVNOLDVS cum beato IO. HENR. BOHNIO, siue potius eius filio, reu. IO. SILVESTR. BOHNIO dimicauit. **

II. Controuersia de *anno iubilaeo* Romano. Ea quidem nostratium monimenta singulatim percensere, quae ann. CIↃIↃCCXXV. et CIↃIↃCCL. contra ritus superstitiosos, quibus secularia illa solent peragi, fuere edita, nimis longum foret. Fas tamen est, laudare clarissimorum virorum nomina, qui magna laude in hoc negotio versati sunt.*** Quo nomine commendari oportet: IO. CHRISTIAN. LOEFLERVM, PHILIPP. FRIDERIC. HANIVM, ven. ERN. AVG. BERTLINGIVM, ven. ERHARD. ERHARDVM, AVG.

* Conf. *act. historico-eccles.* vol. XII. p. 443. sqq.
** Vid. ven. KRAFTII *theolog. Biblioth.* vol. V. p. 213.
*** Vid. *acta historico-eccles.* part. LXXXIX. p. 691. sqq.

AVG. TITELIVM, GEORG. KOERNERVM, ven. IO. PETR. SIGISM. WINKLERVM, ven. IO. SAM. WEIKHMANNVM, IO. RVDOLPH. ANT. PIDERIT, CHRIST. FRIDERIC. ROEDERVM, CAROL. CHAISIVM. Ex pontificiis plerique satis habuere, aliis commendare fructus, quos ex pietate seculari exspectari iubent et exponere officia illorum, qui eosdem rite cupiunt percipere. Fuerunt tamen, qui et πολεμικῶς de hoc argumento disputarent. Ex Italis principem locum tenet THEODORVS A SPIRITV SANCTO; ex Germanis vero HENR. EIKENDORFIVS, qui contra cel. BERTLINGIVM causſam sui coetus agere suscepit, et maxime beatus FRANCISCVS ROTHFISCHERVS, qui eidem BERTLINGIO se opponere coepit; sed diuina benignitate ad cognitionem verae doctrinae perductus, inter vindices illius locum obtinere maluit eaque ipse confutauit, quae ad errores pristinos defendendos scripserat. *

III. Controuersia de *librorum Maccabaeorum* auctoritate historica et canonica. Quam quum nouis argumentis confirmare, sibi sumsisset doctissimus vir ERASMVS FROELICHIVS in *annalibus compendiariis regum et rerum Syriae, numis veteribus illustratis*, Vindobon. ann. CIↃIↃCCXLIV. fol. editis, opposuit illi ven. ERN. FRID.

* Legas illustris GESNERI *memoriam Rothfischeri*, in hac academia ann. CIↃIↃCCLV. fol. editam.

FRID. WERNSDORFIVS, qui nunc Viteber-gae theologi munere fungitur, de *fontibus hiſtoriae Syriae in libris Maccabaeorum proluſionem*, Lipſiae ann. CIↃIↃCCXLVI. 4. Cl. FROELICHIVS addidit: De *fontibus* - - - *proluſionem*, - - *in examen vocatam*, Vindobon. ann. CIↃIↃCCXLVII. tulitque reſponſum a cl. GOTTLOB. WERNSDORFIO, qui gymnaſium Gedanenſe gubernat, in ampliſſima commentatione de *fide hiſtorica librorum Maccabaeorum* Vratislau. ann. CIↃIↃCCXLVII. 4. Huic a ſodale quodam FROELICHII obiecta fuit: *auctoritas vtriusque libri Maccabaici canonico-hiſtorica adſerta* Vindobon. ann. CIↃIↃCCXLIX. 4.

§. VII.

Inter eos, qui ad claſſem *ſecundam* referuntur, ſine omni dubitatione ANGELVS MARIA QVIRINVS, curiae Romanae pater purpuratus, primarium locum tenet. Pacis enim ſtudium prae ſe tulit et humaniter et officioſe cum clariſſimis nonnullis proteſtantium doctoribus egit, maxime vt illis perſuaderet, leuius eſſe diſcrimen, quod inter partes vtrasque interſit: liberum eſſe Romanenſium coetum ab erroribus, quorum illum noſtri adcuſant; nec arduum fore, reconciliari animos, ſi quaenam vera ſit Romana doctrina, adcurate perſpiciatur. Equidem ad hunc locum minime pertinent omnia, quae a QVIRINO cum noſtratibus geſta ſunt, quod magna illorum

lorum pars ad alias disciplinas argumentaque litterarum politiorum referebatur; sed ea tantummodo commemorari oportet, quae de caussis religiosis fuere disputata. Quo spectant:

I. Controuersia, quam QVIRINVS habuit cum celeberrimo viro, vener. IO. GEORGIO SCHELHORNIO, de consiliis REGINALDI POLI, Angliam obsequio pontificis Romani denuo subiiciendi, et PAVLLI III. papae, emendandi sacra deprauata. Ea, quae de priori argumento disceptata sunt, tomo I. et II. *epistolarum* POLI, quos a. CIↃIↃCCXLIV. et CIↃIↃCCXLV. QVIRINVS luci publicae exposuit, sunt praemissa. Ad posterius spectant: SCHELHORNII *de consilio de emendanda ecclesia, auspiciis Paulli III. a quatuor cardinalibus et quinque aliis praesulibus conscripto ac a Paullo IV. damnato -- epistola*, Tiguri ann. CIↃIↃCCXLVIII. 4. eique oppositae QVIRINI *animaduersiones*, Brix. ann. CIↃIↃCCXLVIII. 4. quibus denuo obiecit SCHELHORNIVS *epistolam secundam*, ann. CIↃIↃCCXLVII. Controuersiam hanc consequutum est colloquium Ottoburanum, quod SCHELHORNIO honorificum exstitisse, ipse QVIRINVS publice testatus est. *

II. Controuersia eiusdem QVIRINI cum ven. IO. RVDOLPHO KIESLINGIO. Hunc quum ille compellasset *epistola*, ann. CIↃIↃCCXLVII.

* Conf. *acta historico-eccles.* vol. XIV. p. 885. sqq.

XLVII. edita, celeberrimus Lipsiensium theologus ipsi respondit in *epistola de gestis Paulli III. ad emendationem ecclesiae maxime spectantibus*, Lips. ann. CIↃIↃCCXLVII. 4. Addidit elegantem et maxime laudabilem commentationem de *Contareno purioris doctrinae de iustificatione in conuentu Ratisbonensi teste et confessore*, Ien. ann. CIↃIↃCCXLIX. 4. porro dissertationem de *poena ignis, a Pontificiis in translationes bibliorum statuta*, Ien. ann. CIↃIↃCCXLIX. 4. denique *epistolam, qua Contareni fides vlterius vindicatur et ad - - cardinalis epistolam* respondetur, Lips. ann. CIↃIↃCCLI. 4.

III. Controuersia cum viro celeberrimo SAM. FORMEY, cuius *vindiciae beatorum reformatorum et inprimis Lutheri contra varias obiectiones ab---- Quirino propositas*, Francof. ad Viadr. an. CIↃIↃCCL. 8. continent fere omnia scripta, quae in vtramque partem fuerunt emissa. *

IV. Controuersia cum venerabili sene, GEORG. GVIL. KIRCHMAIERO. Ad hunc litteras publicas dedit QVIRINVS, vt reprehenderet, quae is de LVTHERO vere et ornate dixerat. KIRCHMAIERVS obiecit ad hanc epistolam *responsionem*, Vit. ann. CIↃIↃCCLII. 4. qua multa praeclare congessit pro caussa LVTHERI argumenta. QVIRINVS denuo epistolam ad

* Legas, si vis, quae diximus in *der Geschichte der E. L. K.* p. 147. sqq.

ad KIRCHMAIERVM ann. CIↃIↃCCLIII. edidit; sed iterum tulit ann. CIↃIↃCCLIV. responsum, quo veritas potissimum iudiciorum, quae ERASMVS de Luthero tulit, egregie vindicatur. His addi possunt aliae QVIRINI epistolae, maxime ad collegas nostros venerandos, FEVERLINVM, GESNERVM, et KAESTNERVM: item ad BERTLINGIVM et b. ROTHFISCHERVM scriptae, quibus nullam praetermisit occasionem contra sanctissimas nostras religiones declamandi.

§. VIII.

Dubium adhuc est, quid spectauerit reuerendissimus sacrorum *Vindobonensium* praesul, TRAVTSONIVS nuper ex hac vita sublatus, quum epistolam illam *pastoralem* ederet. Multa certe in illa dicta sunt, quae ad emollienda dogmata coetus Romani faciunt; neque inepta sunt ad fallendos homines, minus cautos. Eodem loco haberi oportet epistolam episcopi *Gurcensis* eiusque apologiam, cuius nonnulla exstant capita, quae propius a veritate abesse videntur.

§. IX.

Tertia denique prodeat classis. In illam abiicere libet, WEISLINGERVM, PFYFFERVM, NEVMAYERVM, et KVHNIVM siue ENGELHARDVM, quorum nomina recitasse, sufficit ad intelligendas causas, cur controuersias, quas excitarunt, commemorare displiceat.

§. X.

§. X.

Quamuis maximopere Romani pontificis sectatores de consensu doctrinae gloriari soleant; eorum tamen coetu nullum grauius litibus domesticis turbari, ipsa nostri seculi historia abunde testatur. Bellum illud *Iansenisticum*, quod proximo seculo ortum fuit, non solum nulla vi; nec auctoritate curiae Romanae; nec consiliorum prudentia potuit componi; sed in dies auctum fuit, maxime postquam flammis et *Quesnelliana* controuersia et *Clementina* lex, quae ab *vnigenitus* voce nomen sortita est, aliique casus noua dederunt alimenta. Quo ipso celebratissimae omnium ore controuersiae rationes nostra aetate perturbatae sunt, vt historiam illius scribere adgredientibus arduum sit, vnde capiant orationis initium, recte definire. Breuitatis, cui nos adstricti sumus, memores, praecipua rei capita attingemus.

§. XI.

Neminem fugere potest, quaenam caussa fuerit, cur Clemens XI. ann. CIↃIↃCCXIII. memoratam legem *vnigenitus* tulerit atque in illa quamplurimas sententias, quae a QVESNELLIO dicebantur fuisse prolatae, condemnauerit; neque id cuipiam ignotum esse potest, legem istam offendisse animos non solum eorum, qui IANSENII partes aperte amplectebantur; aut QVESNELLI amicos se esse profitebantur; sed aliorum etiam, qui iura sacra Galliae manifesto violari

lari, indignabantur. In his principem locum tenuit NOAILLIVS, praesul Parisiensis paterque curiae Romanae purpuratus, qui magno animo illis restitit suaque auctoritate effecit, vt multi illustres viri vtriusque ordinis et maxima pars curiarum Galliae, quae *parlamenta* dici solent, exempluin eius imitari, laudi ducerent. Hinc in duas partes Gallia omnis diuisa fuit: altera fuit eorum, qui mandato Clementis sponderent obsequium; altera, qui idem repudiarent et ad concilium vniuersale prouocarent: pauci medium cursum tenuerunt. Pontifex suis praeceptis praestari cupiebat obedientiam. Dum LVDOVICVS XIV. viueret, qui sub vitae finem a Loiolitis se regi, patiebatur, nihil omissum fuit, quod eo faciebat, vt quiuis bullam vnigenitus adprobaret et in eos, qui veritati neque a papa praescribi iudicabant, acrius animaduersum. At Ludouico ex hac vita sublato et duce Aurelianensi ad gubernandum Galliae regnum admoto, liberior fuit facultas illis, qui recusabant legem, sibi veritatique consulendi. In dies tum *constitutionionariorum* secta patiebatur detrimenta. Quum LVDOVICVS XV. ipse ad administrandam rempublicam accederet eiusque curam inprimis FLORIO committeret, hic, vt Pontificis animum sibi arctius obstringeret, omni opera et ope enisus est, vt omnes bullae vnigenitus subscriberent. Haud paruae fuere vexationes, quibus ab eo tempore obnoxii fuere *adpellantes*; nihilominus certum

est,

eſt, numerum eorum haud potuiſſe minui, atque ex eo tot lites et querelas ortas, quibus Gallia adfligitur. *

§. XII.

* Non poteſt fieri, vt ſingulos libros percenſeam, quibus lex Clementis modo impugnata; modo defenſa; modo denique hiſtoria eius enarrata; aut illuſtrata fuit. Ablegamus eos, qui eorum notitiam deſiderant, ad patris *Einleitung in die Religionsſtr. auſſer der E. L. K.* tom. I p. 250. et tom. II. p. 936. ſqq. vbi alios quoque laudauit, qui eodem labore perfuncti ſunt. Noſtrum autem eſſe, putamus, commendare paucos; ſed praeſtantiſſimos commentarios, vt noſcant lectores fontes, ex quibus hiſtoria memorabilis controuerſiae tuto hauriatur. Quales ſunt:

I. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII *acta publica conſtitutionis vnigenitus*, Tubing. ann. CIↃIↃCCXX.

II. RENATI IOSEPHI DV BOIS *collectio noua actorum publicorum conſtitutionis Clementinae vnigenitus*, Lugdun. Batau. ann. CIↃIↃCCXXV. Debemus hanc homini, qui ſocietati Ieſu adeoque ipſi bullae eſt addictiſſimus:

III. *Anecdotes, ou memoires ſecrets de la conſtitution vnigenitus*, Vltrai. ann. CIↃIↃCCXXXII. 3. vol. 8. Elegantiſſimi ſunt commentarii, qui iure ſuo Germanice conuerſi, ceperunt prodire. Magdeburgi ann. CIↃIↃCCLV. 8.

IV. *Recueil des arreſts rendus dans tous les parlemens et conſeils ſouverains du Roiaume au ſujet de la bulle Vnigenitus et de ſes ſuites*, ann. CIↃIↃCCLIII. 8. 3. vol. Nonniſi ea continentur, quae vſque ad ann. CIↃIↃCCXX. geſta ſunt.

V. *Nouvelles eccleſiaſtiques, ou memoires pour ſervir à l'hiſtoire de la conſtitution vnigenitus.* Ephemeridum

§. XII.

In prouinciis Belgii Auſtriaci prouidentia principum cautum fuit, vt ne ſimiles turbae in illis ob legem Clementinam orirentur. Noluere enim ciuibus ſuis imponi neceſſitatem, eam pro doctrinae regula habendi. Cuius prudentiae nouum dederunt ſpecimen, qui nomine imperatricis auguſtae illarum prouinciarum regendarum gerunt curam, quum praeſul Gandauenſis MAXIMILIANVS ANTON. VAN DER NOOT auſus fuiſſet, eos, qui illam repudiant, haud obſcure inter haereticos numerare. *

§. XIII.

Liberiore adhuc, res ſuas agendi, poteſtate vtuntur IANSENII amici in ſoederato Belgio. Qui

dum haec eſt inſcriptio, quas inde ab an. CIↃIↃCC-XXVIII. IANSENII ſectatores ſingulis ſeptimanis edunt. Rariſſima et vtiliſſima eſt collectio, quam vel oculis vſurpare, pauciſſimis eſt conceſſum. Optamus, vt in pluribus ſint manibus.

VI. PETRI FRANC. LAFITEAV *Hiſtoire de la conſtitution vnigenitus*, Pariſ. ann. CIↃIↃCC-XXXVII. 3. vol. 8. Scriptor eſt ex LOIOLAE familia. Diſputat potiſſimum contra *anecdota*, ſupra laudata.

VII. *Iournal de Mr. l'abbé d'Orſanne*, Rom. ann. CIↃIↃCCLIII. 6. vol. 8. Hoc diarium abundat narrationibus rerum, quae hiſtoriam legis Clementinae mirifice illuſtrant. NOAILLII amicus fuit illius auctor.

* Vid. *act. hiſt. eccleſ.* vol. XV. p. 679. ſqq.

Qui ibi viuunt, sacris addicti Romanensibus, numquam passi sunt se cogi ad condemnandas IANSENII sententias, quae mirifice maximae illorum parti placent; sed ad conseruandam suam libertatem, in tutela summorum magistratuum repositi, omnia contulerunt studia. Hinc graue illud dissidium ortum est, quo praesules et canonici *Vltraiectini* ac *Harlemenses* ita a ceteris coetibus, papae subiectis, disiuncti sunt, vt qui schisma hoc esse negare velit, eum oporteat ignorare, quae inde ab aeuo CODDII, archiepiscopi Vltraiectini, qui ann. CIↃIↃCCXI. ex hac vita migrauit, gesta sunt. *

§. XIV.

Sed reuertamur in Galliam, vbi eadem controuersia, de bulla vnigenitus, alias peperit. Anticonstitutionarii, praeter alia argumenta, doctrinae suae veritatem miraculis diuinitus confirmari, cupiebant. Leuioris momenti quidem fuit; nihilominus omnium animos commouit et magnas turbas Parisiis excitauit exemplum mulierculae, DE LA FOSSE, quae ann. CIↃIↃCCXXV. pristinam valetudinem recuperauerat. ** Simili modo

* Conf. *act. histor. eccles.* vol. VII. p. 102.

** Inprimis huc spectant: NOAILLII cardinalis litterae publicae, scriptae d. X. Aug. ann. CIↃIↃCCXXV. et *deux lettres à Mr. l'abbé* - - ann. CIↃIↃCCXXVI. quae epistolae NOAILLII cl. VERNETO sunt oppositae. Alia huius generis opuscula consulto tacemus.

modo ann. CIↃIↃCCXXVII. sepulcrum GERARDI ROVSSE, Auanticensis canonici, maximis miraculis nobilitatum fuit. Longe celebrius exstitit nomen FRANCISCI PARISII, qui dum viueret, omni opinione austerius vitae genus sectatus est; sed constantissime partibus eorum, qui legem Clementinam reiecerant et ad concilium vniuersale prouocauerant, ipse adhaesit. Famam viri sancti reliquit, quum Lutetiae cal. Mart. ann. CIↃIↃCCXXVII. diem obiret, licet vix dubitari queat, hominem fanaticum incredibilibus, quas corpori suo intulit, vexationibus mortem sibi ipsum consciuisse. * Corpus deponebatur in coemeterio, quod S. Medardi nomen fert. Breui tempore insignes motus in ciuitate Parisiensi orti: homines confluxere ad sepulcrum PARISII: ingens numerus miraculorum, precibus, ad nouum numen factis, ferebatur impetratus: publici conuentus ad sepulcrum instituti. Mirifica laetitia *Iansenistas* et anticonstitutionarios impleuit: vbiuis audiebantur clamores, famosam formulam *vnigenitus* a Deo ipso per miracula illa condemnari. NOAILLIVS, licet, dum viuebat, ipse se ad adprobandam formulam commoueri passus esset, nihilominus miracula PARISII pro veris habuit et solemni ritu eorum

* Conf. *vie de Mr. Paris*, Vltraiect. ann. CIↃIↃCCXXXII. 12. et *fortgesetzte Sammlung von alten vnd neuen theol. Sachen*, a. CIↃIↃCCXXXIII. p. 964. sqq.

veritatem explorari et confirmari, ſuſcepit. Qui in locum eius ſucceſſit, VINTIMILLIVS, longe alia iudicabat. Armata manu a. CIↃIↃCCXXXIII. aditus ad ſepulcrum Pariſii intercluſus fuit.

§. XV.

Ingens fuit numerus libellorum, qui ab illo tempore modo ad oppugnanda; modo ad defendenda PARISII miracula compoſiti fuerunt. Quaeſtiones, de quibus diſceptatum fuit, probe ſunt diſtinguendae. Diſputabatur *partim* de miraculorum veritate, quam alii negabant; alii tuebantur; *partim* de illorum vſu, num quid praeſidii cauſſae anticonſtitutionariorum adferre queant; aut periculi illorum aduerſariis; *partim* de miraculis generatim, poſtquam nonnulli Chriſtianae religionis vniuerſae hoſtes exemplo miraculorum PARISII abuſi ſunt, vt illa cum veris antiquioris aeui miraculis compararent et argumento, quod ex illis pro veritate doctrinae Chriſtianae repeti ſolet, nihil ponderis ineſſe, iudicarent. *

More

* Breuiter monere liceat lectores, leuiſſimum hoc argumentum optime confutatum eſſe a LELANDO in *view of the principal deiſtical writings* vol. II. p. 108. ſqq. et VERNETO in *commentar. de veritate relig. Chriſt.* p. 841. edit. Germ. adde PHILELEVTHERII HELVETII, hoc eſt, IO. IAC. ZIMMERMANNI *praefationem*, libello *de miraculis Pythagorae, Apollonii, Franciſci, Dominici et Loiolae* praemiſſam.

More noſtro nonniſi praecipuas commentationes commemorabimus.

I. *Recueil des miracles operés ſur le tombeau de Mr. de Paris*, ann. CIↃIↃCCXXXIV. et CIↃIↃCCXXXV. 3. vol. collectio facta eſt a patronis huius cauſſae:

II. LVDOVICI BASILII CARRE DE MONTGERON, ſenatoris Pariſienſis, qui ſe Diuina illa cinerum PARISII virtute a priſtino perditiſſimae vitae genere ad virtutis ſtudium non ſine miraculo reuocatum fuiſſe, publice profitebatur, *verité des miracles operés par l'interceſſion de Mr. de Paris, demontrée contre Mr. l'Archev. de Sens*, Pariſ. ann. CIↃIↃCCXXXVI. 4. Hunc librum itidem pro defendendis miraculis fuiſſe ſcriptum, vix eſt, cur moneamus:

III. *Traité dogmatique ſur les miracles du tems*, Pariſ. ann. CIↃIↃCCXXXVII. Hoc opuſculum quum a ſodali ſocietatis Loioliticae exaratum fuiſſe, probabile eſt, quisque iudicabit, quaenam de hac re proferantur ſententiae:

IV. DES VOEVX *lettres ſur les miracles* ann. CIↃIↃCCXXXV. et *critique generale du livre de Mr. de Montgeron*, Amſtelod. ann. CIↃIↃCCXL. Poſterior liber facile ceteris omnibus praeſtat:

V. *Declaration du Sr. Abbé le Franc.* anno CIↃIↃCCXXX. Libellus breuis; ſed maxime probabilis. Inter alia miracula hoc quoque in omnium ore verſabatur, quo ſoror abbatis FRANCI recuperaſſe dicebatur perditam valetudinem.

Sed frater eius publicis his litteris declarauit, fabulum esse inanem et sororem eius ad fingendum miraculum a nonnullis hominibus male moratis fuisse inductam:

VI. Tandem MOSHEMII *inquisitionem in veritatem miraculorum Francisci de Paris, seculi nostri thaumaturgi*, Helmstad. ann. CIↃIↃCCXL. et denuo in vol. III. *dissertat. ad histor. eccles. spectant.* p. 308. sqq. editam.

§. XVI.

Ex his miraculis PARISII noua fanaticorum gens prodiit, quae a corporum iactationibus *conuulsionariorum* nomen sortita est. Ceperunt fabulam agere, in memorato coemeterio S. Medardi eamque continuarunt, quum a loco, illis tam sancto, arcerentur, in domiciliis priuatis; nec penitus potuerunt exstingui. Parum honorifica sunt, quae de illis ab auctoribus, omnino fide dignis, enumerantur. Quare multi ex IANSENII amicis hostibusque bullae suae dignitati optime consuluerunt, quum ipsi absona illa consilia et turpes fraudes detestarentur. Conuulsionarii licet communi ac, vt vera fateamur, epidemico quodam morbi genere, quod huius generis iactationes corporum producit, adfecti fuerint; in aliis tamen rebus inuicem dissentiunt. Alii correpti fanatico paroxysmo et mente capti, edunt vaticinia; alii miracula spondent: alii non verbis; sed gestibus, quorum haud paucos pudor vetat describi,

ſcribi, futura praedicere credebant. Hi *figurales*; illi *miraculoſi*; iſti *prophetici* dicuntur conuulſionarii. De hoc hominum genere graues quoque inter viros doctos ortae ſunt contentiones. Illis, quos modo laudauimus, addere libet nonnullos alios, ex quibus vberior fanaticorum horum notitia adquiri poteſt. Commendamus igitur:

I. *Lettre au ſujet des choſes ſingulieres et ſurprenantes, qui arriverent eu la perſonne de Mr. l'abbé Beſcherant.* Abbas ille lue fanatica correptus fuit d. XVIII. Octobr. an. CIↃIↃCCXXXI. Nonnulli eum fraudulentiae adcuſant eumque fabulae omnis auctorem eſſe, contendunt:

II. *Examen critique, phyſique et theologique de l'oeuvre des convulſions et des caractéres divins, qu'on croit voir dans les accidens des convulſions*, Pariſ. ann. CIↃIↃCCXXXIII. 4. Commentarius hic maximopere praedicari ſolet:

III. *Le naturaliſme des convulſions dans les maladies de l'epidemie convulſionaire*, ann. CIↃIↃCCXXXIII. Scripſit librum artis ſalutaris doctor et docte de argumento diſputauit:

IV. *Le ſyſteme du melange dans l'oeuvre des convulſions*, ann. CIↃIↃCCXXXV. 4. Vt intelligant lectores, quid ſignificet *miſcelae* vox, obſeruare liceat, nonnullos ex amicis huius cauſſae, quos puduit facinorum, a conuulſionariis figuralibus maxime commiſſorum, hac excuſatione vſos eſſe, partem iſtorum miraculorum a Deo;

partem a maligno genio patrari. Horum ineptiae a noſtro confutantur.

V. *Coup d'oeil en forme de lettre ſur les convulſions*, Pariſ. ann. CIↃIↃCCXXXIII. 8.

VI. *Ouvrage poſthume du bien heureux Iean Loanen, eveque de Senez*, Vltrai. anno CIↃIↃCCCXLIV. 8. *

§. XVII.

Antequam ad alia progrediamur, nonnullos commemorare, libet, libros, qui tum a ſectatoribus IANSENII; tum ab illorum aduerſariis recentiore aetate fuere in lucem producti, partim vt ſciant lectores, ex quibus fontibus hauriant belli huius notitiam; partim vt controuerſiae iisdem innoteſcant, quas illi libri excitarunt. Ex illorum numero, quos *Ianſeniani* in lucem emiſerunt, notari velimus:

I. NIC. FONTAINE *memoires pour ſervir à l'hiſtoire de Port-Royal*, Vltraiect. ann. CIↃIↃCCXXXVIII. 2. vol.

II. PETR. THOM. DV FOSSE *memoires pour ſervir à l'hiſtoire de Port-Royal*, Coloniae ann. CIↃIↃCCXXXIX. 8.

III. *Recueil de pluſieurs pieces pour ſervir à l'hiſtoire de Port-Royal*, Vltrai. ann. CIↃIↃCCXL. 8.

IV. CLAVD. LANCELLOTI *memoires touchant*

* Adde cl. VERNETVM loc. cit.

chant à la vie de l'Abbé de S. Cyran, ann. CIↃIↃCCXXXVIII. 2. vol. 8.

V. *Vies intereſſantes et edifiantes des Religieuſes de Port-Royal*, opus, in plures partes diſtributum, quarum prima ann. CIↃIↃCCL. Vltraiecti 8. prodiit:

VI. *Ieſus Chriſt ſous l'anatheme*, anno CIↃIↃCCXXXII. Libellus, ingenioſe elegantèrque conſcriptus, Romae ann. CIↃIↃCCXXXIV. flammis fuit traditus:

VII. *Reflexions ſur l'hiſtoire de la captivité de Babylone*, ann. CIↃIↃCCXXIII. et CIↃIↃCCXXXV.

§. XVIII.

Qui ex aduerſariis Ianſeniſmi recentiori aeuo protulerunt libros, plerique ſatis habuere, diſputationes inſtituere contra doctrinam, quam Ianſeniani de gratia Diuina aliisque fidei articulis profitentur. Sed hos quum ab hoc loco remouere nos iubet dicendi breuitas, ſufficiat vnum commemoraſſe librum, qui et hiſtoricum argumentum tractat et fata expertus eſt, quae omnem opinionem ſuperarunt. Prodiit quippe ann. CIↃIↃCCXXXV. 8. opus, cui haec praefixa eſt inſcriptio: *Bibliotheque Ianſeniſte ou catalogue alphabetique des principaux livres Ianſeniſtes.* Suſpicio facile cecidit in DOMINICVM COLONIAM, qui Loiolae familiae adſcriptus eſt, ex aliis ingenii monimentis haud mediocrem nomi-

nis famam consequutus. Multa quidem, notitia aliorum haud indigna, ex bibliotheca disci possunt; sed eadem tot prauis sententiis, falsis narrationibus nugisque ineptis sunt deprauata, vt omni cautione illi opus sit, qui recte ea vti velit. Nihilominus ann. CIↃIↃCCXLIV. secundis curis fuit ornata. Sed incurrit offensionem Benedicti, qui d. XX. Sept. ann. CIↃIↃCCXLIX. vniuersam Iansenianorum bibliothecam, a collegio doctorum Romanorum, qui indicis librorum prohibitorum curam gerunt, condemnari iussit. Familia Loiolae, quae aegre ferre solet, a papa reprehendi, quae illi haud displicent, mandato pontificis se opponere, haud dubitauit. Emissa igitur fuit *epistola ad Belgas*, qua *bibliothecae* memoratae caussa acta fuit. Obiecit *Romanus* PHILALETHES, hoc est THOM. AVGVST. RICCHINI, qui collegii laudati est ab epistolis, *ad theologum Louaniensem epistolam de iusta bibliothecae Iansenianae proscriptione*, anno CIↃIↃCCL. Quum prodiisset, *epistola doctoris Sorbonici* ad amicum Belgam, quam celebrem Iesuitam, LAZARIVM, scripsisse, ferunt, collegium *indicis* memoratum d. IV. Mai. ann. CIↃIↃCCL. eum libellum famosum prohibendum esse, declarauit. Tandem his opusculis accessit: *Sorbonici doctoris ad - - Ricchinium - - gratiarum actio*, qua itidem pro bibliotheca illa pugnatur. * Haec quum ita essent

* Fusius haec enarrantur in *der fortgesetzten Sammlung von*

essent, miramur, ausos fuisse sodales Loiolitico s, nouam libri huius producere editionem, quae immutata inscriptione et hoc titulo: *Dictionnaire des livres Jansenistes ou qui favorisent le Jansenisme*, munita et in quatuor tomos distributa, Antuerp. ann. CIↃIↃCCLII. 8. lucem vidit. *

§. XIX.

Recentissima aetate nouum bellum in Gallia exortum fuit, cuius veram caussam non sine iniuria in bullam vnigenitus nonnulli deferunt. Pugnare quidem praesules aliosque viros sacri ordinis cum supremis magistratuum collegiis, quae *parlamenta* dici solent, aulamque regiam vicissim partibus vtrisque aut fauere; aut resistere, exemplis rerum, quae per proximos annos in Gallia gesta sunt et adhuc geruntur, abunde comprobatur. Sed omnia, quae ad hanc litem adcurate perficiendam faciunt, a nobis enarrari nequeunt, quum res nimis sint turbatae iisque, quos auribus, non oculis, vti oportet, subobscurae; nec facile diiudicari possunt; nisi certe et partium studii expertes ad nos transferantur narrationes. Attamen ne nihil prorsus dicere videamur, satis erit, distincte exponere quaestiones, de quibus tanta animorum

von alten vnd neuen theolog. Sachen ann. CIↃIↃCC-XLIX. p. 147. et ann. CIↃIↃCCL. p. 555. sqq.

* De hac editione legatur ven. BAVMGARTENIVS *in den Nachricht. von merkwürdigen Büchern.* vol. III. p. 340. sqq.

rum contentione disceptatur. Pauca igitur haec velimus obseruari:

1. Longam esse et diuturnam controuersiam, num recte de caussis ecclesiasticis cognoscere queant parlamenta. Haec ipsa id adfirmant, episcopi negant. Illa prouocant ad iura et libertatem Galliae Christianae; nec raro suae potestatis dederunt specimina, quum in episcopos immorigeros animaduerterent:

2. Parlamentum Parisiense, auctoritate FLORII cardinalis coactum, bullam *vnigenitus* quidem in tabulas suas publicas retulisse; sed numquam pro *regula fidei* legeque regni sacra agnouisse; immo varia eius capita tamquam iniuria in maiestatem regiam reiecisse:

3. Nouam artem a patronis legis Clementinae introductam fuisse, vt necessitatem ciuibus imponerent, illi se subiiciendi. Iusserunt enim, nemini administrari sacramenta; nisi producat litteras, quibus presbyteri fidem faciunt, illum confessionem edidisse; nemini vero istae litterae exhibentur; nisi se amplecti bullam, declarauerit. Impius vero; neque sepulturae ritu dignus iudicatur, qui sine sacramentis decedit:

4. Accidit igitur, vt nonnulli presbyteri cum in ciuitate Parisiensi; tum in aliis prouinciarum Gallicarum vrbibus miseris moribundis, quae expetebant, sacramenta denegarent. Hinc querelae deferebantur ad magistratus ciuiles et parlamenta, quae impium iudicabant, hominem ea de

caussa

cauſſa ſacramentis priuari, quod ad admittendam legem Clementinam ſe commoueri, haud paſſus ſit. Contra ea praeſules, qui pro bulla, tamquam pro aris et focis, dimicant, mandatis ſuis morem geri cupiunt et parlamenta iniuriae adcuſant, quod de his rebus, quas ſibi ſolis volunt relinqui, ſententiam ferre, ſuſtineant. Haec eſt litis ſumma, quae tantas turbas excitat, vt nec regia aula, quid ſit conſilii capiendum, ſciat. Retulit quidem rex rem ad curiam Romanam, neque officio ſuo defuit Benedictus; ſed nuper litteras ad Galliae regem dedit, quibus mandato Clementis iuſſit obſequium ſponderi; ſed num his adduci queant parlamenta ad mutandam ſententiam, in qua defendenda mirificam exhibuerunt conſtantiam, eſt, cur dubitemus. *

§. XX.

* Innumeri fere in Gallia de hac cauſſa prodierunt libri. Quos dum percenſere, nobis non licet, quum maxima eorum pars vix regni fines egredi ſolet, ſufficiat paucos nominaſſe, videlicet:

I. *Ecrits pour et contre les immunités pretendues par le clergé de France.* Hag. com. ann. CIↃIↃCCLI. ſqq. 7. vol. 8. Haec quidem collectio ſpectat ad controuerſiam *tributariam*, quae ann. CIↃIↃCCL. orta eſt; nihilominus multa exhibet, quae ad illuſtrandam litem *ſacramentariam* faciunt:

II. *Apologie des iugemens, rendus en France contre le ſchiſme par les tribunaux ſeculiers*, ann. CIↃIↃCCLII. 3. vol. 8. Haec commentatio grauiſſimis argumentis tuetur cauſſam parlamentorum:

III. *Remontrances du parlement au Roi*, ann. CIↃIↃCCLIII. 8. Vtiliſſima eſt diſputatio ſenatus

Pari-

§. XX.

Arctius vinculum, quo cum hac lite Ianseniana cohaerent ceterae disputationes doctorum pontificiorum de *gratia* aliisque huius generis capitibus, suadet, vt de his nonnulla subiiciamus. Longior quidem illa controuersia, quae inter Loiolae et Dominici familias acta fuit, * nondum prolata pontificis sententia, quae tamdiu exspectata fuit, adhuc continuatur, ita vt quaelibet pars pristinas suas opiniones sedulo seruet et oblata occasione, easdem proponendi, ornandi tuendique, num-

Parisiensis, licet eo inscio ac inuito promulgata, adeoque ab ipso condemnata. Huic opusculo accessit aliud, cuius haec est inscriptio: *tradition des faits qui manifestent le systeme d'independance, que les eveques ont oppose - - aux principes - - de la iustice souveraine du Roi*, ann. CIↃIↃCCLIII. 8.

IV. *Remontrances du parlement de Rouen au Roi*, ann. CIↃIↃCCLIII. 8. Vtriusque parlamenti litterae ad regem Vltraiecti denuo fuere descriptae:

V. SIGISM. IAC. BAVMGARTENII *Abhandlung von den Freyheiten der Kirche von Franckreich*, Hal. ann. CIↃIↃCCLII. Haec elegans disputatio translata fuit in linguam Gallicam:

VI. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII *orationem de praesenti, quae inter parlamentum et clerum Gallicanum agitatur, controuersia*, Giess. ann. CIↃIↃCCLVI. 4. Adde *die fortgesetzte Samml. von alten und neuen theol. Sachen* ann. CIↃIↃCCLI. p. 271. sqq.

* Conf. ven. patris *Einleit. in die Religionsstreit. ausser der E. L. K.* tom. I. p. 264. tom. II. p. 967.

numquam non vtatur. Ex Dominicanorum numero magnam nominis celebritatem ſtudio, Pelagianas opiniones oppugnandi, conſequuti ſunt IGNATIVS HIACYNTH. AMATVS DE GRAVESON et DAN. CONCINA. Ille luci expoſuit: *epiſtolas, ad amicum ſcriptas, theologico-hiſtorico-polemicas, in quibus doctrina de gratia in ſe ipſa efficaci et de praedeſtinatione gratuita, ante omnem praeuiſionem meritorum, contra ſcholae Thomiſticae aduerſarios adſeritur ac vindicatur*, 3. vol. Romae ann. CIↃIↃCCXXVIII. ſqq. 4. poſtea inter opera eiusdem, Venetiis iunctim edita, translatas. Hic in *theologia dogmatica et morali*, opere ampliſſimo multumque celebrato, multam curam in eo collocauit, vt Auguſtinianam doctrinam confirmaret erroresque Loiolitarum, illi oppoſitos, conuelleret. Nouimus quidem, ann. CIↃIↃCCLI. VICECOMITEM, qui tum vniuerſam ſocietatem Ieſu gubernabat, de hac re queſtum eſſe apud BENEDICTVM; ſed ea, quae expectabat, haud impetrauit. His addi poteſt nonnemo, qui *Em. Picardi a S. Auguſtino* nomen adſciuit ſcripſitque: *laqueum contritum; ſeu falſam calumniam vera confutatam reſponſione, qua doctrina Auguſtino-Thomiſtica de Dei gratia - - - liberatur*, *Lugduni* ann. CIↃIↃCCXL. 8. ſed tulit reſponſum a IOANNE BAPTISTA VELLE, Ieſuita Louanienſi in *depulſione calumniarum*, Louan. ann. CIↃIↃCCXL. 8.

§. XXI.

§. XXI.

Iesuitas pristinas opiniones non deseruisse, testantur libri, ab illis conscripti. Ne exemplum desit, prouocamus ad ea, quae a IOSEPHO ZANCHIO, doctore Vindobonensi in *tract. de gratia saluatoris*, ann. CIↃIↃCCLIV. 4. edito de hoc argumento fuerunt disputata. Mittimus alias huius generis commentationes, quarum paucae aliquid ponderis habent ad illustrandam controuersiae historiam, vt producamus Iesuiticae factionis patronum, et generis nobilitate et meritorum, quibus politiores musas sibi deuinxit, conspicuum, quem semper mirati sumus, a suauioribus studiis se auocari et in certamen difficillimum, cui sustinendo parum sufficiebat, abripi passum esse. Dicta haec sunt de SCIPIONE MAFFEIO, qui sine dubio blandis vocibus Gallorum adductus, librum emisit, ita inscriptum: *istoria teologica delle dottrine e delle opinioni, corse ne'cinque primi scculi della chiesa in proposito della diuina grazia, del libero arbitrio e della predestinazione*, Tridenti ann. CIↃIↃCCXLII. fol. eoque omnia conquisiuit et complexus est argumenta, quibus effici possit, eamdem fuisse veterum Christianae ciuitatis doctorum de his rebus sententiam cum illa, quae in bulla *vnigenitus*, operi adiecta, proponuntur. Quare nec fieri potuit, quin secus sentientes illustri viro contradicerent historiamque ab illo haud sine partium studio, quod abesse debet a

persona historici, conscriptam esse, ostenderent. Inprimis docte exaratae sunt: *animaduersiones in historiam dogmaticam*, nec a Caluini; nec a Iansenii assectatore, sed ab Italo sacerdoteque Romanensi compositae editaeque Francof. ann. CIↃIↃCCXLIX. 4. qui in binis commentationibus: *difesa dell' animaduersioni et l'infariniato posto nel vaglio*, suas sententias contra MAFFEIVM defendit. Hic enim quamplurimis libellis caussam suam contra aduersarios (plures vero in ipsa Italia aduersus MAFFEIVM pugnarunt) agere perrexit. Quas quidem singulatim enarrandi, eo minor est necessitas, quo magis sufficit notasse, eas omnes a FRID. REIFFENBERGIO versioni latinae *operis Mussciani*, Francofurti ann. CIↃIↃCCLVI. fol. in lucem emissae, fuisse adiectas. *

§. XXII.

Neque aliae controuersiae, quae sodalibus Loiolitticis cum aliis sacri ordinis viris intercedunt, fuere compositae. Innouata potius fuit celebris illa pugna de *probabilismo*, quum idem, quem supra laudauimus, Dominici adsecla DANIEL CONCINA in lucem emitteret: *della storia del probabilismo e del rigorismo dissertazioni teologice, morali e critiche* ann. CIↃIↃCCXLIV. 2. vol. 4.

Amici

* Conf. *relationes Goettingenses* Germanicas ann. CIↃIↃCCLVI. p. 1059. sqq. vbi fusius de hoc libro diximus sententiam.

Amici erroneae doctrinae *ἀνωνύμως* binas oppofuerunt commentationes, alteram: *P. N. N. de querelis probabiliſtarum ad patrem Dan. Concinam ſermonem*, Veronae ann. CIↃIↃCCXLIV. 8. ſatirico dicendi genere exaratam; alteram: *avvertenze contrapoſte alla ſtoria de probabiliſmo*, Einſidel. ann. CIↃIↃCCXLIV. Confutauit huius generis libellos IOSEPHVS TORELLIVS ſumtaque laici hominis perſona, edidit: *de principe gulae incommodo eiusque remedio dialogos duos anonymi auctoris*, Coloniae ann. CIↃIↃCCXLIV. 8. neque abhorret a veritate, ab eodem ſcriptum fuiſſe: *de probabili vitae morumque regula dialogum inter Laymannum et Philopatrum*, qui eodem tempore in lucem prodiit. De lite ob legationes ſacras ſuperſtitioſas Ieſuitis illata ſupra, meminimus, nos dicere. *

§. XXIII.

Simillima ſunt his ſimultatibus etiam ea, quae recentiore aetate de reuelationibus MARIAE DE IESV AGREDANAE, abbatiſſae Hiſpanicae ex familia Franciſci diſputata ſunt. Floruit illa ſeculo ſuperiori ſcripſitque librum, *ciuitatis myſticae* nomine inſignitum, ſaepius editum et in plerasque, quibus Europae gentes ſacris Romanis addictae vtuntur, linguas translatum, quo ea complexa eſt, quae illi a virgine Maria reuelata fuiſſe,

* Vid. cap. II. §. 13. ſqq.

fuisse, et ipsa; et patroni eius, monachi Franciscani, contendebant aliisque adhuc persuadere studebant. Nihilominus tot scatet erroribus, vniuersae religioni Christianae contrariis, vt lepide et sine omni iniuria nouum Franciscanorum euangelium dicatur. Quare ex ipso coetu Romano multi docti viri, maxime Thomisticae disciplinae dediti, sibi non potuerunt temperare, quin publice impietatis arguerent fanaticam mulierem et librum damnandum esse censerent. Quae hanc in rem tum a collegio theologorum Parisiensi; tum Romae: immo in ipsa Hispania eique vicina Lusitania gesta fuere, ea aliena esse a nostro instituto, putamus, quod sub finem seculi decimi septimi vsu contigerunt. At vero Franciscani non solum omnem operam in eo collocarunt, vt ista figmenta pro oraculis, Diuinitus patefactis, haberentur eademque sedulo commendarent; sed etiam curiam Romanam eo adducere, laborarunt, vt in numerum *beatorum* Agredana virgo solemni ritu referatur. Neque inanis, quam concepe-runt, est spes, fore, vt maximam auctoritatem oraculis illius conciliet caelestis dignitas, qua illam cupiunt exornari. Consilia haec, de quibus Romae ann. CIↃIↃCCXXX. deliberari cepit, alios excitauit, vt diligentius de veritate reuelationum Agredanae disquirerent et, si fieri posset, a coetu dimouerent periculum, ex quo vix euadere potest, vbi voluntati Franciscanorum satisfieri decreuerit pontifex. Haec est caussa controuersiae,

quae noſtra aetate de *Agredanae* reuelationibus orta eſt. Liceat enarrare monimenta, quae ab vtraque parte compoſita fuere:

I. EVSEBIVS AMORT, canonicus Auguſtanus, primus in aciem prodiit, editis *de reuelationibus, viſionibus et apparitionibus priuatis regulis tutis*, Auguſt. Vindelic. an. CIↃIↃCCXLIV. 4. Ad quas ſi oracula Agredianae diiudicaueris, ea haud eſſe Diuina, facile iudicabis:

II. DIDACVS GONZALEZ, Hiſpanus, obiecit ei librum, quem, fatemur, nos nondum vidiſſe, Madridi ann. CIↃIↃCCXLVII. et Campidoni ann. CIↃIↃCCXLVIII. typis deſcriptum:

III. LANDELINVS MAYR, Bauarus, itidem pro Agredanae cauſſa pugnare voluit ſcripſitque: *valde probabilem et efficacem praeſumtionem pro certitudine reuelationum Agredanarum*, Monachii ann. CIↃIↃCCXLVII.

IV. AMORTVS vtriusque nugas confutauit in *controuerſia de reuelationibus Agredanis explicata*, Auguſtae Vindelic. ann. CIↃIↃCCXLIX. 4.

V. DALMATIVS KICKIVS, Bauarus, addidit, Amorto oppoſitam, *iuſtam defenſionem reuelationum Agredanarum*, Ratisb. an. CIↃIↃCCL. 4.

VI. AMORTVS denuo expoſuit: *nouam demonſtrationem de falſitate reuelationum Agredanarum, cum parallelo inter pſeudoeuangelia et easdem reuelationes*, Auguſtae Vindel. anno CIↃIↃCCL. 4.

VII. NIC. LENGLETVS DV FRESNOY adiun-

adiunxit ſe illis, qui reiiciunt *Agredanae* viſiones. Etenim non ſolum ſcripſit: *truité hiſtorique et dogmatique ſur les adparitions et les revelations particuliers*, Avenion. ann. CIↃIↃCCLI. 2. vol. 8. et huius libri tom. II. cap. XI. adcurate contra Agredanae ſomnia diſputauit adiecitque varia monimenta, ad hanc rem ſpectantia atque in his memorabilem epiſtolam, a Benedicto XIV. d. XVI. Ian. ann. CIↃIↃCCXLVIII. ad ordinis Franciſcani praefectum, RAPHAELEM DE LVGAGNANO ſcriptam, qua rectius iubet a Franciſcanis comprobari, ſcriptam eſſe ab Agredana fatidica *ciuitatem myſticam*; ſed etiam integram *collectionem diſſertationum de adparitionibus, viſionibus et ſomniis*, Gallice aut ſcriptarum; aut conuerſarum Avenion. ann. CIↃIↃCCLII. 2. vol. 8. luci expoſuit:

VIII. Agredanae patronum poſtea ſe exhibuit, qui *reſponſionem clientis Mariani in alma catholica et celeberrima vniuerſitate Pragenſi ad epiſtolam nonneminis*, Moguntiae ann. CIↃIↃCCLI. 4. iuris publici fecit. Eadem potiſſimum oppugnat elegantiſſimam *nonneminis epiſtolam ad nonneminem de nouo quodam familiae Seraphicae euangelio*, Francof. et Lipſ. ann. CIↃIↃCCXLIX. 8. cuius quidem auctorem eſſe ven. CASPAR. KREZIVM, Auguſtanum purioris doctrinae interpretem, certe ſcimus:

IX. Eodem officio denuo functus eſt DIDACVS GONZALEZ, Hiſpanus, et contra AMORTVM

TVM vastum volumen composuit, cui hic praefixus est titulus: *apodixis Agredana pro mystica ciuitate Dei*, Madrit. ann. CIↃIↃCCLI. fol.

X. Tandem IOSEPHI DAMALETI *epistolae ad - - - du Fresnoy*, Veronae ann. CIↃIↃCCLV. 4. lucem viderunt, quibus AMORTI sententia a criminationibus vindicatur et fabula Agredana conuellitur. * Hispanorum tanta est diligentia, in tuenda Agredanae suae dignitate, vt Madriti constituerint officinam typographicam, describendis laudibus eius dedicatam. Id vnum addimus, quaestionem hanc multum momentum habere ad illustrandas disputationes de cultu, quo Romanus coetus diuam virginem adfici iubet. Etenim in *ciuitatis mysticae* volumine ea de Maria praedicantur, quae magnitudini et excellentiae meriti Christi aperte aduersantur animosque a pietate in sanctissimum seruatorem auocant et ad superstitiosam matris eius venerationem impellunt.

§. XXIV.

Doctrinae de cultu diuae virginis dum fecimus mentionem, opportune nobis in mentem redit memoria disputationis de illius conceptione, num libera fuerit a labe naturali; nec ne. Eam quidem

* Ablegamus lectores, qui plura de his libris scire cupiunt, ad ven. BAVMGARTENII *Nachricht. von merkwürd. Büchern.* vol II. p. 506. sqq. vol. IV. p. 208. et vol. VIII. p. 60. sqq.

quidem noſtra aetate ſilentio, quod pontifices imperarunt, magis oppreſſam ; quam iuſtis argumentis compoſitam eſſe aeque ac eorum ſententiam, qui triſtiſſimae ſortis omnium hominum, praeter Chriſtum, Mariam expertem fuiſſe, ſuperſtitioſe credunt, in dies magis Ieſuitarum et Franciſcanorum artibus inſtitutisque religioſis plebi commendari, neminem fugit. Nihilominus ſuperſunt praeter Dominici familiam, alii et ſapientes et cordati viri, quibus diſplicet illé furor, quo magna illorum hominum pars ad tuendam nouam doctrinam fertur. In quorum numero locum tenuit LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS et in libro, quem LAMINDI PRITANII nomine, ipſi ex more Arcadum Romanorum impoſito, vſus ann. CIↃIↃCCXIV. in lucem emiſit publicam, de *ingeniorum moderatione in religionis negotio*, prudenter iudicauit, tametſi pia ipſi videatur doctrina de conceptione Mariae immaculata; licitum tamen eſſe, de illius veritate dubitare; immo ſecus ſentire; eos vero a ſuperſtitionis ſuſpicione non poſſe liberari, qui voto ſolemni ſpondeant, pro tuenda hac doctrina vitam animamque deponere. Quamuis haec MVRATORII ſententia a nemine iure queat reprehendi ; nihilominus ſiculus quidam, FRANC. BORGIVS, auſus eſt, illi contradicere et, adſcito *Candidi Parthenotimi* nomine, opponere: *votum pro tuenda immaculata deiparae conceptione, ab oppugnationibus*

Lamindi Pritanii vindicatum, ann. CIↃIↃCC-XXIX. 4. Bene egit MVRATORIVS, quod tempus doctissimis vastissimisque libris, quibus vniuersam rem litterariam sibi deuinxit; quam bello huic, ex quo parum gloriae exspectari poterat, tribuere, maluit. Otium tandem nactus, ann. CIↃIↃCCXL. libellum breuem; sed ingeniose et elegantissime conscriptum: *de superstitione vitanda; siue censuram voti sanguinarii in honorem immaculatae conceptionis deiparae emissi*, edidit, cuius inscriptio *Antonii Lampridii* nomen prae se fert. Vix vtilissimum opusculum, quod vniuersae controuersiae de Mariae conceptione eiusque historiae multum lucis adfert, in dias luminis auras prodiit, quum ingens hostium numerus clamores aduersus bonum virum extolleret eumque tantum non summae impietatis argueret. Temperamus nobis, quo minus in enarrandis libellis tempus perdamus, quorum notitiam aliunde quisque sibi comparabit. Maioris pretii sunt vindiciae MVRATORII, quas ipse, ficto *Ferdinandi Valdesii* nomine adhibito, complexus est *epistolis*, *siue adpendice ad librum Antonii Lampridii de superstitione vitanda*, Venet. et Mediol. ann. CIↃIↃCCXLIII. obiecit easque, denuo typis descriptas, noua commentatione auxit, qua contra clarissimum virum, IOANNEM LAMIVM, disputauit. Adiunxit huic parti se BENEDICTVS PIAZZA, Iesuita Panormitanus, magnumque librum composuit, cuius

ius haec est inscriptio: *caussa immaculatae conceptionis sanctissimae matris Dei, Mariae, agitata et concluſa*, Panorm. ann. CIↃIↃCCLV. fol.* Quae paucis abhinc annis in Gueſtphalia de hoc argumento disputata sunt, ab hoc loco videntur esse aliena, siquidem inter se Franciscanus quidam PESAMVSCA et MOLLENHOFIVS, vir doctus, nostris sacris addictus, dimicarunt.

§. XXV.

Nihilominus ira hostium erga MVRATORIVM ex Italia in Germaniam nostram transmissa fuit bellumque domesticum in ciuitate Salisburgensi commouit. Redierant in illam ex peregrinatione Italica nonnulli iuuenes illustri genere orti et bonis litteris probe imbuti et conuentus instituerant, quibus de variis elegantiorum disciplinarum capitibus, maxime ad historiam Christianae ciuitatis spectantibus, disserebant. Praedicare solebant ingenii ornamenta, quibus exteri doctoribus Iuuauiensibus praestant, et commendare libellum MVRATORII de *moderatione ingeniorum*. Benedictini, qui in illa musarum sede cathedras theologicas occuparunt, nescio, quid periculi doctrinae Romanensi imminere, rati, omni opera et ope nouis moliminibus se opponere studuerunt; nec puduit illos, MVRATORIVM nouae haereseos postulare, quae

* Conf. *act. historico-eccles.* tom. VIII. p. 132. sqq.

liberorum murariorum nomen sortita sit. Silentio tandem blatratoribus ab archiepiscopo ann. CIↃIↃCCXL. imperato, lis fuit finita. Nihilominus ad defendendam bonam caussam compositus et iuris publici factus libellus: *ἀδεισιδαίμονος Φιλοφωμαίου vindiciae aduersus sycophantas Iuuauienses*, Colon. ann. CIↃIↃCCXLI. 8. *

§. XXVI.

Pergunt etiam doctores coetus Romanensis de auctoritate pontificis inuicem pugnare. De Gallis hoc loco non libet dicere, siquidem ea, quae de litibus huius gentis supra adlata sunt, clarissima exhibent argumenta, concludendi, num consentiat, papam a periculo errandi esse immunem. Habere quoque Italiam claros viros, qui de felicissima illa papae sorte dubitant, exemplum docet IACOBI HIACYNTHI SERRII, qui pontifici ad definiendas quaestiones controuersas de credendis; aut agendis opus esse iudiciis theologorum et consensu patrum curiae eius purgatorum, contendit. Confutare hanc opinionem sumsit scriptor *Romani pontificis priuilegiorum*, quae Venetiis an. CIↃIↃCCXXXIV. prodierunt. Sed constans fuit SERRIVS in retinenda, quam amplexus erat, opinione eamque nouis argumentis confirmauit in *infallibilitatis pontificiae, iustis terminis*

* Conf. *act. historico-eccles.* tom. V. p. 155. sqq. tom. VI. p. 803. tom VII. p. 60. 674. tom. VIII. p. 128. sqq.

minis circumscriptae, *explicatione*, quae Venet. anno CIↃIↃCCXXXIV. 4. lucem vidit. SERRIO liberius mentem suam exposuit cl. GIANNONIVS, in elegantissimis *rerum Neapolitanarum* commentariis; sed tristiora fata expertus est. Fuerunt alii, qui curiae Romanae praesidia ferrent eiusque auctoritatem tuerentur. In his facile principatum tenet cl. ORSIVS, cuius vastum opus de *irreformabili Romani pontificis in definiendis fidei controuersiis*, Romae ann. CIↃIↃCCXXXIX. 3. vol. 4. magnis plausibus a patronis huius causae fuit exceptum.

§. XXVII.

Celebris quoque exstitit controuersia, cuius auctor fuit PETR. FRANCISCVS COVRAYERIVS, canonicus templi Parisiensis, S. Genouefae dicati, qui postea, patria relicta, in Angliam secessit et elegantissima versione *operis Sarpiani* de concilio Tridentino Gallica magnam nominis famam consequutus est. Primum animos eorum, qui in coetu Romano recte credere sibi videntur, grauius ab ipso alienauit libellus de *ordinatione Anglorum* Gallice ab illo scriptus et Paris. ann. CIↃIↃCCXXIII. in lucem emissus. Pugnarunt contra illum HARDVINVS et LEQVIEN aliique; sed non satis fuit, confutari eum a viris doctis, maxime quod de sacrificio missae aperte secus scripserat; ac doctrina Tridentina statui iubet. Ipse NOAILLIVS libellum damna-

uit

uit resque eo deducta fuit, vt sacrorum communione arceretur COVRAYERVS. Singulos libellos, qui de hac re exarati fuerunt, enarrare, non lubet; siquidem omnis controuersiae exstat historia, eleganter scripta, * quam cupimus a lectoribus consuli. Quum COVRAYERVS protulisset Londin. ann. CIↃIↃCCXXXVI. fol. laudatam *Sarpianorum* commentariorum translationem, obseruationibus ab illo auctam, quibus suas de rebus Diuinis opiniones exposuit, ** denuo contra eam dimicarunt nonnulli Galli, quorum obtrectationes a se depulit. ***

§. XXVIII.

Haec quidem sunt, quae de controuersiis pontificiorum tum domesticis; tum cum exteris gestis dicere, animus fuit. Non ignoramus, alia quoque

* Haec dicta sunt de ven. OLAI KIOERNINGII *commentatione, qua controuersia de consecrationibus episcoporum Anglorum recensetur et diiudicatur*, auspiciis beati MOSHEMII Helmstad. ann. CIↃIↃCCXXXIX. 4. edita.

** Conf. summe venerabilis CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI *progr. de theologia Courayerana*, in hac academia ann. CIↃIↃCCXLV. propositum et in eiusdem celeberrimi viri *nouae sylloges dissertationum part.* I. p. 260. sqq. translatum.

*** Conf. SALIGII tom. III. *historicae concil. Tridentin.* p. 197. sqq. et ven. BAVMGARTENII *continuation.* dissertationis *Saligianae*, eidem adiectam, p. 246. sqq. et ven. KOECHERI *biblioth. symbolic.* p. 339. sqq.

quoque bella a doctoribus huius ciuitatis fuisse susceptа; nec raro magna contentione administrata; sed quum plerique de quaestionibus, non ad disciplinam sanctiorem; sed ad rem historicam; aut criticam pertinentibus, disceptarent, aliorum vero lites posterorum memoria haud dignae videantur, nulla subest caussa, cur istas enarrare; quam iustas huius instituti leges seruare, malimus. Quare auocamus mentem a longiore de hoc argumento oratione et ad alias, quae supersunt, historiae nostrae partes progredimur.

SECTIO VIII.

DE CONTROVERSIIS REFORMATORVM.

§. I.

Accedimus vero ad eam Christianae ciuitatis partem, quae *Reformatorum* adpellatione a ceteris discerni solet. Quaenam huic fuerint controuersiae, dum explicandi consilium cepimus, eundem quidem tenere libet differendi ordinem, quem in proxima sectione sequuti sumus. Pauca igitur *primo* loco enarrabimus, quae ad dissidia, quibus nos ipsi ab illis disiuncti sumus, referri, oportet; *deinde* de domesticis eorum bellis dicemus.

§. II.

Commode orationem auspicamur a consiliis pacis inter vtrumque coetum protestantium re-

stituen-

ſtituendae. Hanc quidem magis a piis viris optari; quam, quae expetitur, ad euentum produci poſſe, nouis rei exemplis noſtra aetas docuit. Sub initium ſeculi IOANN. IOSEPH. WINCKLERVS, Diaconus Magdeburgicus, qui *arcanum regium* litteris conſignauit: SAM. STRIMESIVS, theologus Viadrinae academiae: ALB. IOACH. DE KRAKEWITZ, theologus Roſtochienſis, CASPAR. CALVOERIVS, itidem ex noſtratibus et BALTH. WINCKLERVS, cantor Coennerenſis, de reconciliandis Lutheranis et Reformatis cogitarunt ſuasque opiniones, quibus rem egregie putabant iuuari poſſe, publice propoſuerunt, ab aliis facili negotio confutatas. Maioris momenti erant ſtudia, quae nonnulli legati ordinum imperii euangelicorum in comitiis Ratisbonenſibus in eo collocarunt, vt coniungerentur Reformati cum Lutheranis. Deliberari cepit ann. CIↃIↃCCXIX. nec defuerunt vtriusque partis doctores, clariſſimi nominis magnaeque auctoritatis, qui pacis recuperandae ſpem alerent doctisque libellis confirmarent. Inter noſtrates venerabilis PFAFFIVS locum primum tenuit, cui KLEMMIVS auxilia tulit. Quum his alii, CYPRIANVS, BVDDEVS, WERNSDORFIVS, MOSHEMIVS, ſe opponerent; neque ab Heluetiis impetrari poſſet, vt *formulam conſenſus* abrogarent, conſultius viſum fuit, ciuilem concordiam, quae ſalutaris eſt et vniuerſae rei proteſtantium admodum neceſſa-

ceſſaria, ſedulo ſeruare; quam conſiliis, de vnione eccleſiaſtica ſuſcipienda, nouas turbas excitare. Omni ergo iſta caruere exitu, qui exſpectabatur. *

§. III.

Ab eo tempore rarius de hoc negotio actum fuit; nec tamen omnem ſpem illius conficiendi abiecerunt, qui editis libris, modo alios ad ſtudia illa innouanda excitare; modo pacis ineundae rationes commendare, ſuſceperunt. Parum, credimus, nos a vero aberrare, ſi in hunc cenſum retulerimus DAN. ERNESTVM IABLONSKIVM, aulae Berolinenſis theologum, magnis meritis conſpicuum, nunc e viuis ſublatum. Conſcripta enim *hiſtoria conſenſus Sendomirienſis*, Berolin. ann. CIↃIↃCCXXXI. celebrem illam pacis formulam a nonnullis Polonis vtriusque partis ſeculo XVI. compoſitam, ſummis laudibus extulit eamque STRIMESII exemplo, optauit, ab omnibus Lutheranis et Reformatis adprobari ſicque vtramque eccleſiam feliciter coaleſcere. Eodem conſilio filius IABLONSKII, qui adhuc ſuperſtes eſt, ven. PAVL. ERN. IABLONSKIVS ann. CIↃIↃCCXXX. STRIMESII in *viſitatorios* IV. *articulos Saxonicos viſitationes totidem*,

* De his omnibus legas copioſe diſputantem patrem meum in *der Einleitung in die Religionsſtreitigk. auſſer der E. L. K.* tom. I. p. 509, et tom. III. p. 1081. ſqq.

tidem, primus in lucem produxit iisque denno confirmari, sibi persuasit, discrimen, quod inter doctrinam Lutheranam et Caluiniam intercedat, fundamenta fidei salua et intacta relinquere. At alii inanem esse hanc opinionem et veritati aduersariam, luculenter demonstrarunt.

§. IV.

Haec consilia si non potuerunt effici, quid, quaeso, de illis statuendum est, qui apertius declararunt, vnicam hanc̄ relictam esse vnionis constituendae legem, vt Lutherani, abrogatis sententiis, quas diuinae scripturae consentaneas esse, exploratum habent, in castra Reformatorum transeant tradantque manus victas. In eorum numero fuit IO. MAVRITIVS MOMMERS, in Belgio sacrorum minister, qui in libro, patrio sermone exarato et Lugduni Batauor. ann. CIↃIↃCCXXIX. 4. iuris publici facto, tituloque: *Luther gereformeert*, ornato, hoc argumento vsus est, LVTHERVM eiusque collegas cum Reformatis consensisse adeoque nos ipsos a pristina diui viri doctrina esse remotos. Somnia ista docte eleganterque conuellit beatus IO. LVDOV. SCHLOSSERVS in commentariis de *Luthero Lutherano*, Hamburg. ann. CIↃIↃCCXXXIX. 8. editis. Similis est MOMMERSIO scriptor breuis libelli Germanici, ann. CIↃIↃCCXLI. emissi, quo doctrinam Reformatorum de absoluto decreto nullam esse caussam iustam, demonstrari voluit, cur abstinendum sit *Lutheranis* ab ineun-

da

da cum Reformatis sacrorum societate. Mirum fuit, hominem ne mitioribus quidem sui coetus doctrinis esse addictum; nihilominus potuisse in spem venire, fore, vt nostrates exhortationibus eius patiantur se commoueri ad negandam, in qua nostra salus innititur, gratiae diuinae vniuersalitatem.

§. V.

Maiori iure commendari, oportet, studia ANTONII VAN HARDEVELDTS, oratoris sacri Wykensis in Belgio, qui in libro: *kerkelyk Pleydoy*, Amstelod. ann. CIↃIↃCCXLVII. 4. edito non solum felicius coniungi posse Reformatos cum Lutheranis; quam vtrosque cum Pontificiis conciliari recte docuit; sed etiam monuit suasitque, vt de ista vnione serio pieque cogitarent vtriusque partis doctores. Non abhorrent ab aequitatis legibus consilia, quae proponit. Animum prae se fert, nec a seruandis vtriusque coetus libris symbolicis; nec a controuersiis publice tractandis, licet haud obscure significet, se iusto minoris momenti, credere, disputationes esse, quae Lutheranis cum Reformatis intercedunt. Si vera fateri libet, virum optimum, putamus, non vnionem; sed mutuam tolerantiam suasisse, a qua neminem, speramus, pacis studiosum, futurum esse alienum, modo si illa nec iustitiae repugnet; nec veritati adferat periculum. *

§. VI.

*Conf. ven. IO. CHRISTOPH. KOECHERI com-

menta-

§. VI.

At vero quamuis inter Lutheranos et Reformatos nulla facta sit sententiarum concordia; sed vtraque pars constanter suas doctrinas retineat et contra alteram tueatur; tamen per aliquod spatium externam pacem coluere. Binae tantum memorari debent controuersiae de gratia vniuersali susceptae. Priorem excitauit libellus Germanicus de *gratia vniuersali*, quem beatus IOACH. LANGIVS, vt mandatis augustissimi Borussorum regis, FRIDERICI GVILIELMI satisfaceret, erudite conscripsit. Prodiit enim Hal. ann. CIↃIↃCCXXXII. 8. *die euangelische Lehre von der allgemeinen Gnade*, opusculum, regia adprobatione illustre et saepius recusum. Opposuit illi IO. IACOBVS WALDSCHMIDIVS, theologus Hassiacus octogenarius, die *heilsame Gnade Gottes*, Marpurg. ann. CIↃIↃCCXXXV. 8. confutatus a LANGIO in *dem vesten Grund der euangelischen Hauptlehre von der allgemeinen Gnade Gottes*, Hal. ann. CIↃIↃCCXXXV. 8. Denuo WALDSCHMIDIVS in certamen descendit editque: *die heilsame Gnade Gottes mit Wiederlegung des - - Grundes* cet. Marpurgi ann. CIↃIↃCCXXXV. eique se adiunxit IO. PHILIPP. SPIZIVS in *der euangelischen Lehre von der nicht allgemeinen* mentationem, de *tribus pacificatoribus orbis christiani nouissimis*, Ienae ann. CIↃIↃCCLI. editam, §. 11. sqq.

allgemeinen Gnade, anno CIↃIↃCCXXXV.; nec non GREGORIVS HEINSIVS in *dem Schreiben an ſeinen Timotheum*, Marp. ann. CIↃIↃCCXXXVI. Ex Germania in Belgium propagata fuit haec controuerſia, translatis in linguam illius prouinciae et *Langianis* et *Waldſchmidianis* libellis. Inprimis IOANNES VAN DEN HONERT et ANTONIVS DRIESSENIVS operam ſuam in eo collocarunt, vt puriorem doctrinam conuellerent. Tandem LANGIVS in *der weiteren Ausführung der euangeliſchen Hauptlehre von der allgemeinen Gnade*, Hal. ann. CIↃIↃCCXXXVIII. 8. Nonnihil quoque contra DRIESSENIVM diſputauit IO. FRID. BERTRAMVS. *

§. VII.

Poſterioris de gratia vniuerſali controuerſiae auctor fuit ANTON GOTTFR. DREAS, qui inter noſtrates ſacro munere functus ſibi haud temperauit, quominus Caluini dogmata ſenſim adprobaret aliosque, vt ſequerentur eius exemplum, exhortaretur. Hanc ob cauſſam officio priuatus, ad Reformatos diſceſſit et, vt mutationis cauſſas declararet, anno CIↃIↃCCXXXIX. libel-

* Ad illuſtrandam hanc controuerſiam egregie faciunt epiſtolae, quos FRIDERICVS GVILIELMVS regia manu ad LANGIVM ſcripſit, quae animum regis, verae de gratia vniuerſali doctrinae addictiſſimum, abunde teſtantur. Edidit illas LANGIVS in *commentat. de vita ſua*, ſupra laudata, p. 138. ſqq.

lum scripsit, lingua Belgica exaratum et postea ab HENRICO LAMPIO in Germanicam conuersum praefixo titulo *confessionis fidei.* Quo quidem doctrinam de gratia, merito Christi et vocatione particulari ipsis nostrae ecclesiae symbolis consentaneam esse, audacius contendit. Vindicias verioris sententiae dedit ven. ANDR. ARNOLD. GOSSELIVS in libello breui: *der euangelischlutherischen Kirchen Glaubensbekaentnis von der allgemeinen Gnade*, Bremae, nulla facta auctoris mentione, ann. CIↃIↃCCXXXIX. 8. edito. DREAS, vt malae suae caussae consuleret, opposuit illi *disquisitionem de pace ecclesiastica inter protestantes*, Belgicam, anno CIↃIↃCCXLV. qua simulato pacis studio, salutarem doctrinam de gratia vniuersali impugnare perrexit. Id quod in caussa fuit, vt ven. GOSSELIVS animum admoueret ad componendum librum: *die richtige Mittelstrasse in der Gnadenlehre der euangelischlutherischen Kirche*, Hal. ann. CIↃIↃCCXLVII. 8. quo exquisitis argumentis doctrinam saniorem confirmauit. Exstat quoque CHRIST. ANTON. BRVNNEMANNI dissertatio *de vocationis ad salutem vniuersalis sufficientia*, in academia Gryphica, praeside ven. IAC. HENR. DE BALTHASAR, ann. CIↃIↃCCXLVII. habita.

§. VIII.

Coetus Reformatorum domesticis etiam litibus fuit turbatus. De his quum dicere adgredimur,

mur, variae ſuadent rationes, vt ab *Anglicanis* ſumamus orationis initium. Variae ſectae, in quas Anglia partim ab Eliſabethae; partim a Caroli I. aetate diuiſa fuit, pleraeque adhuc vigent, ſi a nonnullis fanaticis familiis diſceſſeris, quas prorſus ab hoc loco volumus eſſe alienas. Epiſcopales tempore Guilielmi coeperunt denuo in partes ire, quarum altera *eccleſiam altam*; altera *humilem*; ſiue *baſſam* adpellari, nouimus. Illius maior certe eſt auctoritas, huius maior gratia et fortaſſe maior numerus, quum opiniones eorum ad confirmandam reip. formam comparatae ſint. *Presbyteriani* et *independentes*, quorum maxima pars ſe cum presbyterianis coniunxit, fruuntur libertate, ſuo ritu Deum colendi, a Guilielmo illis vindicata. Nihilominus non poteſt fieri, quin mutua bella inter tot partes de Diuinis rebus diuerſe ſentientes continuentur; niſi Arminianae dogmata, quae ſingulis fere partibus quotidie magis placere videntur, animos ab altercandi ſtudiis auocent. Harum quidem litium viciſſitudines quo minus a nobis enarrentur, ipſae huius ſcriptionis leges nos impediunt. * Quibus vt ſatisfaciat, de controuerſiis, recentiore aetate excitatis, dicendi neceſſitatem nobis impoſitam eſſe, ſentimus.

* Conf. ven. patris *Einleitung in die Religionsſtreitigk. auſſer der E. L. K.* tom. I. p. 467. ſqq. 8. tom. III. p. 785. ſqq. ven. SIGISM. IAC. BAVMGARTENII

§. IX.

Sub initium ſeculi diſputandi libidine perinde ac iuſta eruditionis et meritorum laude clarus fuit HENRICVS DODWELLVS. Primum magna animi contentione, vt epiſcopalium cauſſam ageret, ea de epiſcoporum origine et poteſtate profeſſus eſt et contra alios defendit, quae nequidem ab his, qui moderate et ſapienter eccleſiae altae addicti ſunt, penitus probari poſſunt. Deinde de animae humanae mortalitate prauas animo concepit opiniones et multos concitauit, vt ei aduerſarentur. *

§. X.

In hunc locum quoque referri oportet virum celeberrimum, BENIAMIN. HOADLEIVM, epiſcopi munere, quod in variis Angliae ciuitatibus non ſine laude adminiſtrauit, illuſtrem. Vt ingenio et doctrina floret; ita animum prae ſe fert, pacis ſtudioſum et ab omni vi alienum, qua alios in ſuas ſententias adtrahere, nonnulli audent. Dum ita ſentit, non poteſt, quin multa vere et praeclare credat, quae de auctoritate huma-

TENII *Abris einer Geſchichte der Religionspartheien* ſect. XI. p. 199. ſqq. et b. IO. LAVR. MOSHEMII *inſtitut. hiſtor. eccleſ.* p. 970. ſqq. vt de BENTHEMIO, ALBERTI, aliis ſileamus.

* Vid. PFAFFII *introduct. in hiſtor. theolog. litter.* tom. II. p. 270. ſqq. b. WEISMANNI *introd. in memorabil. hiſtor. eccleſ.* tom. II. p. 744.

humana recte detrahunt, quae nulla est in rebus fidei. Nihilominus non possumus a nobis impetrare; quominus suspicemur, virum doctum haud raro errore, qui errori, ab ipso impugnato, oppositus est, capi se passum esse; nec satis cauisse sibi a vitiis indifferentistarum. Hinc rogamus lectores, vt binas controuersias distinguant, quas annalium scriptores *Hoadleianarum* nomine significabunt. *Prima* ad doctrinam de ecclesia, de episcopis eorumque ordine, dignitate et potestate; nec non de iuribus sacris magistratuum et obedientia, quam his ciues praestare debent, num *passiua* etiam sit, referuntur. Omnes enim istae controuersiae, quae *episcopales* et *dissentientes* disiungunt, arctissimo vinculo inde a fuga Iacobi II. regis ex Anglia cohaerent, vt vix diuelli queant. Primus vero exstitit ex episcopalibus HOADLEIVS, qui iura episcoporum impugnaret. Notari, decet, monimenta ingenii, quibus vir doctus sententias suas explicauit, cuius generis sunt:

I. *Measures of submission tho the ciuil magistrate considered*, Londin. ann. CIↃIↃCCVIII.

II. *The original and institution of ciuil government discussed*, CIↃIↃCCX.

III. *A preservative against the principles and practices of Nonjurors both in church and state*, Lond. ann. CIↃIↃCCXVI.

IV. *The nature of the kingdom, or church, of christ.* Haec est inscriptio orationis sacrae,

quam HOADLEIVS d. XXXI. mart. ann. CIↃIↃCCXVII. recitauit iussuque regio typis describendam curauit. Eadem etiam in caussa fuit, vt non solum alii ei contradicerent; sed etiam vtrumque cleri Anglicani collegium de illo grauius statuerent. Atuero, quum HOADLEIVS in tutela aulae esset repositus, consiliis ordinis sacri defuit euentus. Quare aduersarii satis habuere ingentem libellorum copiam contra HOADLEIVM conscribere iisque auctoritatem ecclesiae dignitatemque episcoporum defendere.*

§. XI.

Posterior lis *Hoadleiana* ita est comparata, vt minus excusari queat vir doctus. Nescimus, quanam ex caussa quoue consilio sibi animum induxerit, de sacra coena perperam sentire errores-que, quos de illo sacramento concepit, publice proponere in libro: *a plain account of the nature and end of the sacrament of Lord's supper*, Londin. ann. CIↃIↃCCXXXV. 8. Ipsum quidem epulum

* Conf. patrem *loc. cit.* p. 845. sqq. et cl. ALBERTI *Briefe*, p. 573. Praeter doctrinae capita, de quibus cum HOADLEIO disputatum fuit, etiam caussa *Pilloneriana* illi fuit imputata, vt esset documentum, maximum periculum sacris purioribus ex dogmatibus *Hoadleianis* imminere. Memoria digna sunt, quae de hoc homine, qui ex Gallia et scholis Iesuitarum ad Anglos transiit et eclecticum quoddam religionis genus sectatus est, narrauit idem ALBERTI p. 597. sqq.

epulum caeleſte nec μυϛικὸν quid continere; nec virtute, ſalutares producendi effectus, eſſe praeditum; ſed ritum et caerimoniam, quam dum homo peragit, ſe Chriſtum colere ſuum magiſtrum et iudicem, profiteatur et mortis eius reuocet memoriam. Deinde animi praeparationem, quae maxime peccatorum reminiſcentia abſoluitur, neceſſariam eſſe, negat. Oppoſuerunt ſe his erroribus grauiſſimi Anglorum theologi, WATERLANDVS, WARRENIVS, HARRISIVS multique alii, quorum maxima pars nomina ſua occultauit. Caute tamen legendi ſunt huius generis ſcriptores de ſacra coena. Etenim plerique, licet honeſtius de diuino ſacramento ſentiant, HOADLEIO; remoti tamen ſunt a vera doctrina, quae inde a CVDWORTHII et CLARKII aeuo indies magis corrumpitur. * Ex Belgis DAVID. MILLIVS aduerſus HOADLEIVM diſputauit in diſſertatione de *obligatione hominis chriſtiani ad ſacram coenam*, quae in *miſcellaneis* eius *ſacris*, Amſtelod. ann. IↃCCLIV. 4. editis, fuit repetita.

§. XII.

Supra de WHITBIO diximus, eum poſt mortem ſuum iuſte inter Arianos relatum fuiſſe.

* V. *Sammlung von alten und neuen theol. Sachen*, ann. CIↃIↃCCXXXV. p. 831. et ann. CIↃIↃCCXXXVII. p. 369. et 847.

Addimus, eum ann. CIↃIↃCCXI. controuerſiam de imputatione peccati Adamitici commouiſſe. Edidit enim *tractatum de imputatione Diuina peccati Adami poſteris eius vniuerſis in reatum.* 8. atque in illo doctrinam hanc veram eſſe negauit. Quamuis proh dolor! haud primus ex Anglis fuerit, qui grauiſſimum errorem, in ſcholis Pelagianorum natum, tueretur, eiusque exemplum plures gentis illius doctores ſumma auctoritate praediti, ſint ſequuti; * reſtitit tamen illi IONATHAN EDVARDVS, contra cuius librum, qui *veritatis redux*, inſcriptus eſt, WHITBIVS potiſſimum diſputauerat, lucique publicae expoſuit *the doctrine of the original ſin aſſerted and vindicated*, Lond. ann. CIↃIↃCCXI. 8. At pertinax fuit in retinendo errore WHITBIVS eumdemque defendit in *a full anſwer to the arguments of the R. D. Edwards*, Londini anno CIↃIↃCCXII. 8. Ex noſtris confutauit Anglum beatus auus. **

§. XIII.

Quum de controuerſiis cum deiſtis ageremus, ſaepius meminimus nos laudare clariſſimum virum ARTH. ASHL. SYKESIVM, quem hoc anno mortalitatem finiuiſſe, aegre audiuimus. Dole-

* Vid. cl. ALBERTI loc. cit. p. 747. ſqq.
* In *inſtitut. theol. dogmat.* libr. III. cap. 2. §. 24. adde patris *Einleitung* l. c. p. 994. et *miſcellan. ſacr.* libr. I. exerc. 7. §. 22.

Dolemus vero, neceſſitatem nobis imponere veritatis ſtudium, idem nomen hoc loco proferendi eumque non liberum fuiſſe ab erroneis ſententiis, narrandi. Eos quidem errores, quos in extremis vitae annis tum in commentariis, quibus diuinam ad *Ebraeos* epiſtolam illuſtrauit; tum in libello de ſatisfactione Chriſti propoſuit, nunc ſilemus, quum nondum ex Anglia accepimus, num quis illos ſuſceperit confutandos; ſperamus tamen, futurum eſſe, vt ingenui veritatis cultores omnia ſtudia conuertant ad auertenda ab Anglia Socinianiſmi pericula, quae huiusmodi conatus certe adferent; niſi tempeſtiue infringantur. Sufficit commemoraſſe, SYKESIVM fuiſſe ſcriptorem libri, qui Londini ann. CIↃIↃCCXXXVII. 8. ſine auctoris mentione prodiit: *an enquiry into the meaning of demoniacks in the new teſtament.* Quo quidem exornare ſtuduit antiquiſſimam nonnullorum religionis Chriſtianae hoſtium criminationem, recentiore aetate ſaepius renouatam et feliciter confutatam, homines *δαιμονιζομένους*, quos a Chriſto horrendo malo liberatos fuiſſe diuinitus proditum eſt, non fuiſſe a malo genio obſeſſos; ſed morbi genere grauiſſimo adflictos. Haec ſententia licet videatur feſſe hiſtorica; nec coniuncta cum ipſa ſalutari Chriſti doctrina; habet tamen vim ad euertendam miraculorum Chriſti veritatem et infringenda argumenda, quae ex illa ad demonſtrandam Chriſti diuinitatem repetuntur. Hinc gratias agen-

agendas esse, censemus, THOMAE CHVRCHIO, LEONHARDO TWELSIO, THOMAE HVTCHINSONIO, SAM. PEGGIO, GEORG. GVIL. KIRCHMAIERO, immo, quod mireris, GVIL. WHISTONO, quod commenta SYKESII refellenda susceperunt et δαίμονος vocem in tota scriptura sacra numquam morbi; sed prauissimi spiritus nomen esse, exquisitis argumentis demonstrarunt. *

§. XV.

Simili modo peccauit GVIL. WARBVRTONVS, quem, omnes boni aegre ferunt, dum erudite et eleganter disputabat contra hostes sacrorum Christianorum, sibi haud temperasse, quin grauissimum errorem amplecteretur, qui ad euertenda omnis religionis fundamenta insigniter est adcommodatus. Edidit enim celebratissimum opus: *the diuine legation of Moses demonstrated*, cuius tres exstant partes Lond. ann. CIↃIↃCCLV. 8. quarta vice typis descriptae. Breuem illius summam Gallice dedit SILHOVETTE, cuius hic est titulus: *dissertations sur l'union de la religion,*

* Notitiam librorum, qui de hac re in Anglia prodierunt, suppeditat ALBERTI *loc. cit.* p. 764. sqq. et HENR. CHRIST. LEMKERVS. in *praefatione dissertationis de daemoniacis*, quam ipse, e Gallica lingua conuersam, *tomo secundo* operis *Stakhousiani*, quo religio christiana ab hostibus vindicatur, adiecit, p. 321. sqq.

gion, de la morale et de la politique, Londin. ann. CIↃIↃCCXLII. 12. integrum vero Germanice conuertit ven. IO. CHRISTIAN. SCHMIDIVS, Francof. et Lipſ. ann. CIↃIↃCCLI. ſqq. 8. WARBVRTONVM multa praeclare in illo dixiſſe et inſignis eruditionis dediſſe ſpecimina, nemo inficiabitur; ſed praecipuum argumentum, quo vſus eſt ad demonſtrandam Diuinam Moſis auctoritatem, quiuis repudiabit, qui id non ſolum falſum; ſed etiam in ipſam Diuinam ſcripturam iniurium eſſe, intelligit. Ignoraſſe enim contendit, gentem Iſraelitarum eiusque ſacerdotes, immo Moſen ipſum ſalutarem doctrinam de praemiis et ſuppliciis poſt mortem. Criminatio haec quam plurimos commouit, vt WARBVRTONO contradicerent. Ex deiſtarum numero THOMAS MORGANVS * et THOM. CHVBBIVS ** contra noſtrum dimicarunt; ſed his auxiliis veritatem lubentius carere, non eſt, cur moneamus. Maioris dignitatis vtilitatisque ſunt libri, quos ROMAINIVS, TILLARDVS, SYKESIVS, STEBBINGIVS, RVTTERFORTHIVS, FOSTERVS, *** POCOKIVS, MIDDLETONIVS aliique

* Vid. ſupra p. 143.

** Vid. illius *poſthumous Works* tom. I. p. 67. ſqq. vbi vere demonſtrat, ſi ignorantia, cuius Iſraelitas arguit WARBVRTONVS, certa ſit, conſequens eſſe, vt nulla ſit doctrinae de vita aeterna neceſſitas.

*** Nec FOSTERVS ab omni errore ſe abſtinuit. Caute igitur legatur.

aliique ad conuellendas opiniones WARBVRTONI conſcripſerunt. Nihilominus vt hic illas defereret, ab eo non potuit impetrari; ſed potius eas denuo confirmandas ſuſcepit in *remarks on occaſional reflections*, Lond. an. CIↃIↃCCXLIV. 8. tulitque ab aduerſariis noua reſponſa. * Acceſſerunt alii, qui a partibus WARBVRTONI ſtarent. In his eminet ſcriptor libelli: *the argument of the diuine legation fairly ſtated*, Londini ann. CIↃIↃCCLI. 8. Contra ea collega noſter optimus, cel. IO. DAVID. MICHAELIS diſſertationem elegantiſſimam illi oppoſuit, qua *argumenta immortalitatis animorum humanorum et futuri ſeculi ex Moſe collecta*, exhibentur, Goetting. ann. CIↃIↃCCLII. Id vnum addere nobis liceat, controuerſiam, cuius praecipuum argumentum ad doctrinam de notitia vitae aeternae tempore prioris foederis exſtitit, inſigniter auctam fuiſſe, quum ad alias quaeſtiones diſceptandas, maxime de ſacrificiis, viri docti declinarent.

§. XVI.

Peius ſentiendum eſſe, putamus, de CONYER. MIDDLETONO, homine aeque doctrinae laude et meritorum, quibus elegantiores muſas ſibi deuinxit, gloria; ac ignominia inſignis

* De his libellis vid. ven. KRAFTII *Nachrichten von den neueſten theol. Buchern*, tom. III. et IV. et *Biblioth. Britannique*, tom. XI. ſqq.

gnis rixandi libidinis conſpicuo. Nobis non eſt propoſitum, ſingula enarrare bella, quae vir doctus cum aliis habuit, ſiquidem magna eorum pars a re ſacra fuit aliena; ſed binas tantummodo referre libet controuerſias, quae illi cum praeſtantiſſimis Angliae theologis interceſſerunt. Priore diſputabatur de miraculis, quae ab antiquioribus Chriſti cultoribus poſt aeuum apoſtolorum edita fuiſſe, in annalibus rerum chriſtianarum memoriae proditum eſt, num vera fuerint; nec ne; haud ignobilis fuit quaeſtio; neque indigna, quae in diſceptationem vocaretur; ſed aegre ferendum, viros doctos vtriusque partis non ſatis moderate res ſuas egiſſe. MIDDLETONVS in hac fuit ſententia, vt de fide miraculorum, quae Chriſtus eiusque legati fecerint, ne dubitare quidem videatur; ſed ea tantummodo, quae de miraculis, a chriſtianis poſt apoſtolos ſeculis primis patratis, referuntur, aut inter fraudes; aut inter ſomnia hominum, qui carent ingenii acumine, recte numerari, cenſeat. Hanc opinionem multis argumentis firmare ſtudet eamque vtilitatis nomine commendat, quam ad conuellendas nugas ſacrificulorum Romanenſium adferre poſſit. Neminem certe doctius hanc ſententiam expoſuiſſe MIDDLETONO, fateamur, neceſſe eſt; nec diſſimulare libet, multa a viro docto non ſolum ingenioſe; ſed etiam vere fuiſſe tradita. Nihilominus diſplicuit eius diſputatio grauiſſimis; nec imperitis harum rerum magiſtris;

giſtris; nec fieri poteſt; quin diſpliceat bonis omnibus, qui caute et iuſta cura legunt expendduntque argumenta, quibus MIDDLETONVS ad probandam ſuam ſententiam vſus eſt. Etenim omnia ita ſunt comparata, vt iisdem facili negotio miracula Chriſti et apoſtolorum ficta eſſe, demonſtres. Iure ſuo igitur conqueſti ſunt, tradi a viro docto hoſtibus religionis chriſtianae, quorum admodum ferax eſt Anglia, arma, quae ad profligandа veritatis praeſidia commode conuertant, occultasque ſanctiori doctrinae ſtrui inſidias. * Addimus libros, quibus hoc bellum geſtum fuit.

I. MIDDLETONVS primum ſententiam ſuam expoſuit in libello breui: *Introductory diſcourſe to a larger work concerning the miraculous powers, which are ſuppoſed to have ſubſiſted in the Chriſtian church*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLVII. 4. Deinde vaſtum volumen in lucem emiſit, quo omnia latius deduxit; *a free inquiry into the miraculous powers*, cet. Lond. a. CIↃIↃCCXLIX. 4. Aduerſariis ſuis vt reſponderet, non ſolum omiſſo nomine edidit: *remarks on two pamphlets*, cet. Lond. ann. CIↃIↃCCXLVIII. 8. ſed etiam componere coepit: *A vindication of the free inquiry*; tamen vindicias has non perfecit. Ipſo enim d. XXVIII.

* Si quisquam alius, prudenter de hac lite iudicauit beatus MOSHEMIVS *commentar. de rebus chriſtian. ante Conſtantin. M.* p. 221. ſqq.

XXVIII. Iun. ann. CIↃIↃCCL. ex hac vita ſublato, eae prodierunt Lond. ann. CIↃIↃCCLI. 4. quibus opinionem ſuam aperte immutauit. Declarat enim, ſe non negare, miracula primis a virginis partu ſeculis fuiſſe edita; ſed doctores ciuitatis ſanctioris habuiſſe poteſtatem, omni tempore et loco ea efficiendi, quae ſupra naturae vires poſita ſunt. Quum cura cl. WARBVRTONI collectio prodiret operum MIDDLETONI, *(the miſcellaneous works)* Londin. ann. CIↃIↃCCLV. 8. in *primam* et *ſecundam* illius partem non ſolum haec, quae enumerauimus, de miraculis opuſcula; ſed alia etiam, ab ipſo relicta, fuerunt translata. Ex his nonnulla in alia collectione ſcriptorum MIDDLETONI *ἀνεκδότων (the poſthumous Works)* Lond. ann. CIↃIↃCCLIII. 4. edita, lucem viderant:

II. ABRAHAMVS LEMOYNE primus, niſi fallimur, MIDDLETONO contradixit in *ſome remarks on Dr. M. introductory diſcourſe*, adiectis libello: *a treatiſe on miracles, wherein their nature - - are clearly ſtated*, Londini anno CIↃIↃCCXLVII. 8.

III. GEORGIVS WHITE ſcripſit: *theological remarks on the - - M. introductory diſcourſe*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLVII. 8.

IV. THOMAS COMBER oppoſuit: *an examination of a late introd. diſcourſe*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLVII. 4.

V. ZACHARIAS BROOKIVS, quum in

academia Cantabrigiensi summos theologorum honores capesseret, *defensionem miraculorum, quae in ecclesia Christiana facta esse perhibentur post tempora apostolorum*, ann. CIↃIↃCCXLVIII. edidit. Adiecit: *an examination of Dr. M. free inquiry*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLIX. 8.

VI. IOANNES BLARIVS in academia Oxoniensi iuris publici fecit: *de primaeuorum patrum auctoritate concionem* ann. CIↃIↃCCXLVIII.

VII. GVIL. WHISTONVS voluit in hoc bello stipendia merere, edito libello: *account of the exact time, when miraculous gifts ceas'd in the church*, Londin. ann. CIↃIↃCCXLIX. statuit, nonnisi post concilium oecumenicum secundum, quod Constantinopoli coactum fuit, desiisse miracula Christianorum:

VIII. GVIL. DODWELLVS, clarissimi HENRICI filius, magna doctrinae praemia consequutus est, postquam exarauit: *a free answer to - - M. free inquiry*, cuius secunda editio Lond. ann. CIↃIↃCCXLIX. 8. prodiit:

IX. THOMAS CHVRCH, inter aduersarios MIDDLETONI primarium locum obtinuit, edito libello: *a vindication of the miraculous powers*, Lond. ann. CIↃIↃCCL. 8.

X. GVIL. PARKERVS scripsit: *the expediency of the miraculous powers of the Christian fathers and the inexpediency of those, that are claim'd by the church of Rome consider'd*, Londini ann. CIↃIↃCCXLIX. 8.

XI. AR-

XI. ARTHVR. ASHL. SYKESIVS in lucem emisit: *two questions; previous to Dr. M. free inquiry*, Lond. an. CIↃIↃCCXLIX. 8. Quaerit *primum*: quibus argumentis innitatur auctoritas narrationum de miraculis? *deinde*, num salua sit in homine Christiana fides, qui miracula credat esse ficta?

XII. IOANNES CHAPMANNVS pugnauit contra MIDDLETONI opiniones earumque patronos tum in libello: *obseruations on a book, intituled: an introductory discourse*, Lond. ann. CIↃIↃCCXLVII. sine nominis mentione edito; tum in *a view of the expediency and credibility of miraculous powers among the Christians*, Londini ann. CIↃIↃCCLII. 4.

XIII. FRIDERICVS TOLLIVS fuit inter amicos MIDDLETONI eiusque caussam contra DODWELLVM agendam susceptit in *a defence of Dr. M. free inquiry against Mr. Dodwell's answer*, Londin. ann. CIↃIↃCCXLIX. 8.

XIV. RICHARDVS YATE auctor fuit breuis epistolae: *a lettre in defence of Dr. M.* quae Londini ann. CIↃIↃCCXLIX. 8. lucem vidit. His alii accesserunt, qui placere sibi MIDDLETONI de miraculis sententias, profiterentur in libellis *ἀνωνύμοις*, in quibus quum parum est momenti, eos iam silemus. IOANNEM tamen IORTINVM memorari fas est, quod in *parte secunda* libri: *remarks on ecclesiastical history*, Lond. ann.

CIↃIↃCCLII. 8. haud obscure in partes MIDDLETONI discessit:

XV. CHRISTIANVS ERNESTVS A WINDHEIM ex nostratibus aduersariis MIDDLETONI se adiunxit, cuius opus maius Germanice conuertit, praefatione exornauit et obseruationibus docte confutauit. Prodiit illius *Vebersetzung vnd Prüfung der freyen Vntersuchung von den Wunderwerken der christlichen Kirche nach dem Tode der Apostel.* Hanou. an. CIↃIↃCCLI. 4.

§. XVII.

Non satis fuit MIDDLETONO, quam adhuc exposuimus, proferre sententiam, religioni Christianae parum profuturam; sed vlterius progressus nouum dedit animi sui turbulenti et temeritatis specimen, quum venerabilem Londinensium praesulem, THOMAM SHERLOCKIVM, ad pugnam prouocaret. Vtilissimum hic conscripserat de vaticiniis libellum: *the vse and intent of prophecy in seueral ages of the world*, cuius prima editio ann. CIↃIↃCCXXV. quinta ann. CIↃIↃCCXLIX. prodiit, praeter interpretationes tum Germanicam; tum Gallicanam, quarum hanc LEMOINE; illam ven. RAMBACHIVS procurauit. Inueteratum odium, quo MIDDLETONVS SHERLOCKIVM prosequutus est, eum impulit, vt ann. CIↃIↃCCXLIX. in lucem emitteret: *an examination of the Bishop of London's discourses concerning the vse and intent of prophe-*

prophecy. Tria sunt disputationis capita praecipua. *Primum* de vaticiniis eorumque vsu ad confirmandam religionis Christianae veritatem agit. SHERLOCKIVS credit, firmiora praesidia ex miraculis; quam ex oraculis, de Messia praedictis, repeti; certissimam vero ex his confici posse demonstrationem, vbi ea iustis suis vinculis expenduntur coniuncta ideoque alterum ex altero illustretur. MIDDLETONVS vaticinia non solum praefert miraculis; sed etiam illa singulatim cupit adhiberi fictumque esse contendit nexum, quo inter se illa cohaerent. *Secundum* versatur in interpretatione loci Petrini, 2 cp. 1, 19. quo COLLINSIVS suspicatus erat, de dignitate miraculorum detrahi illisque prophetarum dicta anteferri. Hunc SHERLOCKIVS confutauerat: id quod aegre tulit MIDDLETONVS; neque obscure *Collinsianam* explicationem tuetur. *Tertium* denique ad historiam lapsus refertur, num sensu proprio; an allegorico sit capienda? Hoc adfirmat MIDDLETONVS, illud SHERLOCKIVS. Haec est controuersiae summa. Qui de illa conscripti fuerunt, libelli, quantum nouimus, hi sunt:

I. *A letter to a gentleman, occasion'd by Dr. M. examination*, Lond. ann. CIↃIↃCCL. Confutantur hac epistola MIDDLETONI nugae:

II. *Remarks on Dr. M. examination - - from a country-clergyman*, Londini ann. CIↃIↃCCL. Acri censura MIDDLETONVS perstringitur:

III. *Remarks on Dr. M. examination - - by a proteſtant Divine*, Lond. eod. Animum prae ſe fert ſcriptor, a partium ſtudiis liberum ideoque nec adprobat; nec condemnat omnia, quae MIDDLETONVS dixit:

IV. THOMAE COMBERI *modeſt and candit reflexions on Dr. M. examination*, ib. eod. Adcurate diſputat contra aduerſarium:

V. *An eſſay towards aſcertaining the ſenſe of 2 Petr. 1, 16. ſqq. - - by a late fellow. Commoner of St. Iohn's college Cambridge*, Lond. an. CIↃIↃ-CCLI. 8. Itidem pro SHERLOCKIO verba facit:

VI. *A defenſe of the Biſhop's connection by a proteſtant Divine*, Lond. ann. CIↃIↃCCL. 8.

VII. *An Anſwer to Dr. M. grand obiection - - by a clergyman*, Lond. ann. CIↃIↃCCL 8. Diſputat de hiſtoria lapſus; ſed parum eleganter:

VIII. *Some reflections upon Dr. M. examination, by a preſbyter of the church of England*, ib. ann. CIↃIↃCCLI. 8. Dolendum, bonam cauſſam male agi ab auctore, qui neque ab ignominioſis vocibus ſe abſtinuit:

IX. *The D - - ſt, D - - r. detected, or free remarks on Dr. M. examination, by Philotheos*, ib. eod. Omni opera enititur ſcriptor, vt comprobet, MIDDLETONVM deiſtarum gregi eſſe adiunctum:

X. IVLII BATE *uſe and intent of prophecy and hiſtory of the fall cleard*, ib. eod. Ex ſchola HVTCHINSONII repetit veritatis praeſidia, quibus rectius illa carere videtur.

XI. *An*

XI. *An answer to that part of D. M. examination which regards the fall*, ib. eod. 8.

XII. THOM. RVTHERFORTHII *defence of the Bp. of London's discourses*, Lond. a. CIↃIↃCCL. 8.

XIII. *A letter from the late A. C. to the Rev. D. C. M.* ib. eod. 8. Ironico vtitur dicendi genere, qui has litteras a COLLINSIO ad MIDDLETONVM scriptas esse, finxit:

XIV. *A reply to D. M. examination*, ib. eod.* Maximam horum libellorum partem MIDDLETONVS non vidit; neque ad illos respondere potuit. Inter *opera* eius *miscellanea*, quorum fecimus mentionem, dissertatio aduersus SHERLOCKIVM relata fuit tom. V. p. 185. sqq. neque omittenda est illius commentatio de allegorica et litterali interpretatione narrationis *Mosaicae* de creatione et lapsu, quae *tomo secundo* eiusdem collectionis p. 437. sqq. primum fuit litterarum formis descripta.

§. XVIII.

Ad hunc locum denique differre licuit historiam *methodistarum*, quae in annalibus rerum Christianarum, nostra aetate gestarum, numquam non commemorabitur. Sed arduum est

* Conf. cel. WINDHEMII *praefationem*, Germanicae interpretationi operis *Middletoniani* de miraculis praemissam: cl. ALBERTI *Briefe* p. 557. et ven. KRAFTII *bibliothec. theol.* vol. VIII. p. 53. sqq. 156. 347. sqq.

et difficile argumentum, quod explicare adgredimur, quum variae et inter se maximopere discrepantes de hac familia circumferantur narrationes. Cuius quidem dissensionis caussae ex ipsis iudiciis repeti debent, quae Anglorum quisque pro diuersarum partium studiis, quibus homines ferri solent, de his motibus pronuntiat. Nonnulli enim eos arguunt enthusiasmi; alii eos aliorum grauioris momenti adcusant errorum: alii denique nimis fortasse laudibus instituta eorum extollunt eorumque doctores cum ipsis apostolis comparare, haud dubitant. Nos quidem decreuimus, vnicum ducem sequi clarissimum virum GEORG. GVIL. ALBERTI * quod spectatorharum rerum fuit easque magna cura et pari prudentia enarrauit, ita vt aliorum suffragiis ** eius fides abunde sit confirmata.

§. XIX.

* In memoratis et laudatissimis de rebus Anglicanis *epistolis* p. 113. sqq. copiose ea exposuit, quorum summam exhibere, animus est. Multa quidem, quae ad hunc locum spectant, ex *actis historico-ecclesiasticis* et aliis *ephemeridibus* cognosci possunt; nec contemnenda cel. SCHAFHAVSENII de *methodistis* epistola, anno CIↃIↃCCXLIII. 4. edita; sed omnia ista imperfecta, nonnulla dubia et incerta. Nonnullos libellos, ab vtraque parte in lucem emissos, commemorandi, in ipsa enarratione locus erit; omnes vero vt enumeremus, quum nimia sit eorum copia et maxima pars a nobis haud visa, fieri nequit.

** Conf. ven. RATHLEFII *Gottesgelehrten* ann. CIↃIↃCCLVII. p. 141.

§. XIX.

Dubiae sunt nominis *methodistarum* origines; probabile tamen est, illud auctoribus familiae non ignominiae causſae; sed ob laudabilem, quam sedulo tenebant, sacras litteras tractandi rationem fuisse impositum. Accidit ann. CIↃIↃCCXXIX. vt IOANNES et CAROLVS WESLAEVS cum binis aliis in Oxoniensi musarum sede litterarum tractandarum inirent societatem, cuius haec fuit lex, vt coniunctis studiis Graeciae Latiique veteris doctorum monimenta legerent; singulis vero diebus dominicis eamdem operam scripturae sacrae & aliis de re Diuina monitnentis consecrarent. Breui tempore captiuos et aegrotos inuisere: iis sacra oracula explicare et ad sanctiorem vitam exhortari coeperunt; nec fieri potuit, quin alii, more prauorum hominum, bonos viros ignominiis et conuiciis adficerent. Constantes tamen fuerunt in pietatis studiis, quibus animum addixerant, et vt ea augerent, decreuerunt, quouis solis die ad sacram coenam accedere sicque aeui apostolici mores imitari. Probarunt institutum aliis, quibus exemplum eorum sequi, placuit. Hostium vexationes tamen crescebant. Ann. CIↃIↃCCXXXII. CLAYTONVS quidam Londinensis illis auctor fuit, vt seruarent ieiunia, ab Anglicana ecclesia quidem imperata; sed diu neglecta. Abstinuerunt igitur mercurii veneris-que diebus a cibo potuque vsque ad tertiam post meridiem horam. Eodem tempore gregi illi se

adiunxit GEORGIVS WHITEFIELDIVS, vir egregiis ingenii ornamentis et magna dicendi virtute instructus et breui tantam nominis famam consequutus, vt peruulgato errore primus *methodistarum* auctor haberi, consueuerit. Ann. CIↃIↃCCXXXV. IOANNES WESLAEVS sacerdotis munus, in Americana vrbe Sauanae administrandum, sibi imponi passus est eoque cum fratre CAROLO, BENIAM. INGHAMO et CAROLO DELAMOTTIO discessit. Naui, qua vehebatur, idem iter faciebant nonnulli sectatores ZINZENDORFII; nec difficili negotio illius fauorem sibi conciliabant. Amicitia haec cum Herrnhuthanis licet post aliquot annos fuerit disrupta; nihilominus opportunam praebuit WESLAEO occasionem, salutarem Lutheranorum doctrinam de vera *iustificationis* forma, quae imputationem satisfactionis Christi infinitae, fide vera adprehensae, caussam ponit, cur Deus hominibus peccatoribus ignoscat, adcuratius cognoscendi: quam tota mente amplexus est et amicis studiose persuasit. WHITEFIELDIVS, qui Oxonii permanserat, sacris orationibus recitandis operam dare coepit; nec infaustus fuit consilii euentus. Insignis enim fuit eorum numerus, qui illas audire cupiebant eiusque doctrinam extollebant, maxime quod mira facundia modo de fide in Christum; modo de officiis piorum hominum differebat, vt omnes singularem exhortationum vim sentirent. Nihilominus litteris

WES-

WESLAEI excitatus, in Americam traiecit ibique eodem tempore adpulit, quo WESLAEVS in Angliam rediit. Hic Londini et in agro adiacente perrexit, recitare sacras orationes, captiuos adloqui et in domiciliis priuatis verbum Diuinum interpretari. Vbiuis eum excipiebant amicorum plausus, quorum numerus in dies augebatur. Ex his nonnulli arctius cum Herrnhuthanis coniuncti, varia instituerunt religiosa exercitia & in his mutuam peccatorum confessionem. WESLAEVS ipse tanto amore prosequutus est hos homines, vt in Germaniam ad coetus Yssselsteinensem, Marienbornensem et Herrnhuthanum ann. CIↃIↃCCXXXVIII. proficisceretur. WHITEFIELDIVS in America res suas bene gessit et consilium cepit, ibi exstruendi domum, ad excipiendos alendosque pueros, parentibus suis orbatos, destinatam. Quod vt perficeret, quum aliorum beneuolentia et liberalitate opus esse, intelligeret, eodem anno Londinum reuersus est coepitque, quum a cathedris publicis arceretur, in amplissimis campis conciones sacras habere. His effecit, vt vltra mille librarum Sterlingicarum colligeret, quas ipse, comite GVIL. SEWARDO in Americam adportauit; sed breui in Angliam rediit et Bristolii maxime commoratus est. Hic WHITEFIELDIVS, Londini WESLAEI fratres sententias suas propagarunt, tum ore, recitatis orationibus, maximam partem sub dio; tum scriptis, quorum

ingens

ingens exſtat numerus, licet pleraque ſint exiguae molis. Praeter *diaria*, quae vterque publicae luci expoſuit, inprimis *collectio ſermonum, (ſermons on ſeveral occaſions)* IOANNIS WESLAEI, cuius tres exſtant partes, Londini ann. CIↃIↃCCXLVI. ſqq. editae, eiusdemque *deſcriptio methodiſtae*, quae Germanice a. CIↃIↃCCLIII. 8. lucem vidit, memorari debent. Tulerunt quoque laborum fructus, quos expetebant. Incredibilis erat auditorum numerus, qui congregabantur ſeque Diuina vi ad pietatis ſtudium commoueri, profitebantur. Huius generis motus facile alios incitarunt vt nec magiſtros; nec diſcipulos ab omni enthuſiaſmi vitio liberos eſſe, ſuſpicarentur. Confirmauit coniecturam GIBSONIVS, praeſul Londinenſis, quum ann. CIↃIↃCCXXXIX. ederet: *Paſtoral letter to the people of his dioceſe, eſpecialy thoſe of the two great cities of London and Weſtminſter*, et inprimis WHITEFIELDIVM iactantiae argueret, quod ſe a Deo miſſum et ſpiritu caeleſti agi, ſaepius dixerat. Illuſtri hoc exemplo adducti alii publice aduerſus methodiſtas pugnarunt, ex quorum numero IOSEPHVS TRAPPIVS ſcripſit: *Sermon of the nature folly, ſin and danger of being rigtheous over much;* HENRICVS vero STEBBINGIVS: *Caution againſt religious deluſions.* Omnia, quae aduerſarii in hoc hominum genere reprehendunt, complexus et acerba oratione perſequutus eſt auctor libelli: *The enthuſiaſm of the metho-*

methodiſts and papiſts compared, Lond. anu. CIↃIↃCCXLIX. 8. cuius ſecunda pars vindiciis *Whitefieldianis* (*ſome remarks on a pamphlet, intitled: the anthuſiaſm.* cet.) eſt oppoſita. Eodem anno trigeſimo nono et proximo *methodiſtae* a ſocietate *Herrnhuthana* diſceſſerunt, quum horum dogmata perinde ac viuendi rationem cum praeceptis Chriſti parum conuenire, cognouiſſent. Supra diximus, et WHITEFIELDIVM et WESLAEVM ſcripta contra *Zinzendorſianam* familiam edidiſſe. Poſtea inter binos iſtos *methodiſtarum* ſectatores diſſidia exorta ſunt, ſiquidem WESLAEVS doctrinam de gratia vniuerſali et mente concepit; et publica oratione propoſuit eamque litterarum formis exſcribendam curauit (*ſermon of free grace*) Imprudenti conſilio WHITEFIELDIVS, qui particularem eſſe Dei benignitatem, credit, oppoſuit illi *epiſtolam reſponſoriam* (*Letter in anſwer to Mr. W. ſermon*, cet.) eaque multa animi irati et impotentis dedit ſpecimina. Sic ann. CIↃIↃCCXLI. coetus *methodiſtarum* in duas partes diuiſus fuit: altera ſequitur WESLAEVM, altera WHITEFIELDIVM: prioris longe maior eſt numerus et doctrina magis pura, quam poſterioris, cui CALVINI dogma de decreto abſoluto placet. Vtraque pro parte eccleſiae Anglicanae haberi cupit; nec nouam introducit et antea in Anglia inauditam doctrinam de iuſtificatione, fide, gratioſis operationibus et ſanctificatione; ſed potius erroribus

Armi-

Arminianorum, ab illustribus Anglorum praesulibus aliisque doctoribus veram protestantium doctrinam recentiore aetate corrumpi et deprauari iure suo conqueritur. Ex his colligi potest, nos furorem illum numquam esse adprobaturos, quo nonnulli methodistas persequuti sunt et adhuc persequuntur; nec tamen omnia illorum instituta nobis placere, quorum partem ita comparatam esse, suspicamur, vt homines, fortasse contra magistrorum spem, aut a veris virtutis Christianae et sanctimoniae studiis; aut ad fanaticas aberrationes; aut ad superstitiones deflectant.

§. XX.

Nobilis quoque nostro seculo in Anglia fuit disputatio de esu sanguinis, num illo omnibus hominibus adeoque Christianis noui foederis lege Diuina interdictum sit; nec ne? Quaestionem iamdudum inter varias Christianas partes fuisse controuersam, neminem fugit. Celeberrimus theologus Hibernus, PATRICIVS DELANY, in elegantissimo opere: *reuelation examin'd with candour*, susceperat eorum sententiam defendendam, qui negant, nos recte sanguine vesci. Hinc nonnulli ei contradixerunt; alii eius causam egerunt. *

§. XXI.

Praeter has, aliis quoque controuersiis Anglicanam ecclesiam turbatam fuisse et adhuc turbari, non

* Vid. cl. ALBERTI loc. cit. p. 769. sqq.

non ignoramus. Summa illa sentiendi et, quae sentiuntur, proferendi libertas, qua gens illa manifesto abutitur, in causa est, vt quouis tempore huius generis certamina concitentur. At vero quum nonnullae leuioris momenti sunt; aliae, licet omnino habeant pondus, Anglis non sint propriae; sed cum aliis communes, qualem disputationem de aeternitate poenarum infernalium esse, censemus; aliae denique in argumentis, ab hoc loco remotis, versantur, cuius generis bellum philologicum est, quod cum HVTCHINSONIO eiusque adsecIis geritur, a nobis non possumus impetrare, vt in illis enarrandis studia nostra collocemus.

§. XXII.

Si ab his turbis Anglicanis discesseris, ceteri coetus Reformati plerumque pace et tranquillitate vsi sunt. In Heluetia haud meminimus nostra aetate de rebus religiosis disputari; nisi eo tempore, quo, ad iuuanda, Lutheranos cum Reformatis coniungendi, studia, nonnulli suaserunt, vt *formula consensus Heluetica* abrogaretur; alii vero omni opera et ope enisi sunt, vt pristina illius auctoritas sarta tectaque seruaretur. *

§. XXIII.

* Conf. patris *Einleitung in die Religionsstreit. ausser der E. L. K.* tom. I. p. 406. sqq. et tom. III. p. 122. sqq.

§. XXIII.

Quae in Belgio sub initium huius seculi cum HERM. ALEXANDR. ROELLIO acta fuere, minus commode ad hunc locum referuntur, quod controuersiae origines manifesto ad proximum seculum spectant. * Id vnum monemus, nondum prorsus sectatores ROELLII esse exstinctos, siue ad doctrinam de generatione filii Dei; siue ad vsum rationis in rebus sacris referantur.

§. XXIV.

Nec prorsus silentio omitti, fas est, controuersiam GVIL. DEVRHOFII, philosophi Amstelodamensis, qui haud obscure nonnullas opiniones, Spinozianis simillimas, protulerat. Spinozae quidem discipulum illum fuisse vix crediderimus; sed potius eamdem viam cum isto ingressum, ad eumdem locum venisse. Vterque nobis videtur ex praeceptis philosophiae Cartesianae, aut male intellectis; aut per abusum in alienum sensum contortis, tales feciſse conclusiones, quales ab impietatis suspicione nemo sapiens absoluet. **

§. XXV.

Leuis quoque in Belgio fuit controuersia cum IACOBO SAVRINO, celebratissimo apud Hagenses

* Conf. librum eumdem tom. I. p. 480. et tom. III. p. 857. WEISMANNI *introduct. in memorabil. histor. eccles.* tom. II. p. 730. et MOSHEMII *institut. histor. eccles.* p. 986. sqq.

** Vid. patris *librum memoratum* tom. III. p. 924. sqq.

genſes Gallicanos oratore ſacro. Grauius nonnulli ferebant, eum ſcripſiſſe, Deum Samuelem iuſſiſſe mentiri et ſingulari libello, de mendaciis compoſito, licitum iudicaſſe, in caſu neceſſitatis verum reticere. Ignoſcendum eſſe, prudentes recte iudicabant, homini, in quo maior erat eloquentiae vis; quam doctrinae ſanctioris ſcientia, litemque ab aduerſariis, magis inuidia; quam veri ſtudio commotis, fuiſſe excitatam. * Finem illi SAVRINI mors impoſuit.

§. XXVI.

Ex cineribus ſuis bellum Roellianum ſuſcitaſſe viſus eſt ANTONIVS DRIESSENIVS, theologus Groninganus, ſi quisquam alius, turbulenti ingenii. Mouit illum *ὑπόθεσις* LAMPIANA, qua inter filiationem ſecundae Diuinitatis perſonae naturalem et oeconomicam hoc diſcrimen eſſe, ſtatuitur, vt propter illam, quae vera et aeterna ſit, filius *μονογενὴς*, propter hanc vero filius *πρωτότοκος* dicatur, haec, inquam, *ὑπόθεσις*, quam alioquin ipſi reiicimus, mouit DRIESSENIVM, vt in *diſſertationibus academicis* ann. CIↃIↃCCXXXIII. editis iuſto acrius in LAMPIVM eiusque amicos, maxime BERNARD. SAM. CREMERVM inueheretur eosque tantum non Arianae; aut Photinianae impietatis adcuſaret. Hinc ad pugnam acceſſerunt IACOBVS

* Vid. COLERI *auserleſene theolog. Biblioth.* part. XLIV. p. 773. et part. LXVII. p. 628.

BVS ODE, CREMERVS, HERM. VENEMA et nonnulli alii, vt calumniam a se depellerent. Quae idem DRIESSENIVS contra philosophos, nominatim scholam *Leibnitianam*, perinde ac contra SCHVLTENSIVM disputauit, ea ab instituti nostri rationibus abesse nobis videntur.

§. XXVII.

Tandem breuiter narrare liceat, inter Reformatos Transsiluaniae ann. CIↃIↃCCXLII. de vniuersalitate gratiae disputari coepisse. Quum enim nonnulli illius coetus doctores praecepta CALVINI relinquerent eisque oppositas LVTHERI opiniones amplecterentur hasque ANDREAS HVSZTI iureconsultus, in oratione, commentariis eius de *iurisprudentia Hungarico-Transsiluanica* praemissa, publice explicaret et comprobaret, patroni decreti absoluti illis restiterunt et decreta, in nonnullis synodis confecta, obiecerunt, nihilominus ab amicis verioris doctrinae haud potuerunt impetrare, vt ab hac discederent. *

SECTIO. IX.

DE CONTROVERSIIS FRATRVM BOHEMORVM.

§. I.

Quamuis nulla sit dubitandi caussa, in Bohemia supereſſe haud paruum eorum numerum, qui

* Conf. *act. histor. eccles.* tom. XII. p. 70. sqq. et 429. sqq.

qui puriorem doctrinam, a maioribus acceptam, conſeruent et ad poſteros transmittant; triſtior tamen ſtatus, in quo inde a Ferdinandi II. aetate collocati ſunt, efficit, vt inter eccleſias occultas, Deo ſoli cognitas, referantur. Hanc ob rem fere nihil de illis in ſacris annalibus dici poteſt. Nec de coetibus eorum, qui partim ſeculo decimo ſexto; partim decimo ſeptimo in Boruſſia, Polonia, Saxonia congregati ſunt, multa narrare licet, quum illi omnes vel ad noſtratium; vel ad Reformatorum partes tranſierunt; pauci diſciplinae eccleſiaſticae, quae in antiquioribus Bohemicis fratribus ſummopere laudari ſolet, ſpeciem quamdam retinuere. Nugas vero eſſe, quas ZINZENDORFII grex de originibus ſuis Bohemicis comminiſcitur, nulla opus eſt demonſtratione.

§. II.

Nobilis tamen controuerſia de doctrina fratrum Bohemorum, quae noſtra aetate agitur, ſilentio nequit transmitti. Origines illius repetendae ſunt ab illis fratribus Bohemis, qui inde ab ann. CIↃIↃCCXXV. relictis patriis ſedibus, primum in Saxoniae prouincias, maxime in Luſatiam migrauerant, deinde Berolinum diſceſſerant et partim in regia illa vrbe; partim in aliis, Boruſſorum regi ſubiectis, agris ſedes fixerunt. Quorum numerus, occupata Sileſia ab auguſto Friderico, inſigniter fuit auctus. Familiae iſtae profitebantur, ſe eſſe Auguſtanae confeſſioni addictas; nec de hac re dubitabatur, adeo vt opera mini-

ſtrorum Lutheranorum vterentur. Sed nonnulli ex Reformatis in eo laborarunt, vt fratres illos Berolinenſes in ſua caſtra tranſire commouerent. Votis ex parte reſpondit euentus eosque incitauit, vt de conſtituendo reformato coetus paſtore cogitarent idque munus IO. GOTTL. ELSNERO committerent. Qui quum illud ſuſcepiſſet, omnem operam in eo collocauit, vt aliis perſuaderet, fratres Bohemos, qui ex patria migrauerint, non Lutheranorum; ſed Reformatorum doctrinae fuiſſe deditos. Prodierunt hanc in rem:

I. ELSNERI *Fußtapfen der - - Vorſehung des Allerhoechſten in der - - Führung vnd Leitung der euangeliſch reformirten boehmiſchen Emigranten zu Berlin*, Berol. ann. CIↃIↃCCLI. 4. Libellus a regia aula poſtea prohibitus, Glogau. ann. CIↃIↃCCLII. 8. additis obſeruationibus denuo fuit typis deſcriptus. In hoc libello fratres in Lutheranis reprehendiſſe, dicuntur, panes euchariſticos, exorciſmi ritum, ſignum crucis, imagines et diuiſionem decalogi. In his capitibus, addit ELSNERVS, Bohemos ſemper cum Reformatis conſenſiſſe. Breuiter; ſed adcurate docebat *bibliotheca theologica* ven. KRAFTII tom. IX. p. 270. libellos catecheticos antiquiores Bohemorum talem exhibere decem praecepta numerandi rationem, qualem noſtrates adprobant:

II. ANDREAE MACHERI, qui Lutheranis Bohemis praeeſt, *Erlaeuterung der ſogenannten Fußtapfen*, Berolin. ann. CIↃIↃCCLI. 4. Simili

mili modo haec commentatio Berolini prohibita et Glogauiae recusa: immo in *acta historico-eccles.* tom. XVII. p. 262. sqq. fuit translata:

III. ELSNERI, qui IGNATII nomine vsus est, *Sendschreiben an einen vornehmen Goenner*, ann. CIↃIↃCCLIV. 8. epistola *bibliothecae Kraftianae* opposita:

IV. *Zuverlaessige Nachrichten von verschiedenen kleinen Schriften, in welchen Hr - - Elsner - - die euangelisch-lutherische Kirche angegriffen*, CIↃIↃCCLV. 8. breue opusculum, a ven. EHWALTO editum:

V. Eiusdem IO. GOTTFR. EHWALTI *alte vnd neue Lehre der boehmischen vnd maehrischen Brüder*, Gedani ann. CIↃIↃCCLVI. 8. Integra est collectio libellorum catecheticorum et veterum et recentiorum, quibus inter se comparatis, facilis est diiudicatio, cuiusnam sententia verior sit. *

SECTIO X.

DE CONTROVERSIIS GRAECORVM.

§. I.

Tristissimus status, in quo maxima Graecorum, Christianis sacris addictorum, pars, si a Ruthenis discesseris, est collocata et summa rerum Diuinarum ignorantia, qua vel ipsi illorum

* Conf. *act. histor. eccles.* vol. XVII. p. 262. 367. 649. 1084. vol. XVIII. p. 929. 954. et vol. XIX. p. 100. sqq.

doctores obruti sunt, non possunt non efficere, vt a religiosis litibus liberi sint. Nec tamen tanta rerum laboramus inopia, vt nihil dici queat, quibus propositum argumentum illustretur. Habemus sane varia capita, quae hoc loco memoriae posterorum commendemus.

§. II.

Controuersiae, quae Graecis cum ceteris partibus Christianis intercedunt, nondum compositae sunt. Constanter enim illi, qui vnionem, Florentiae seculo XV. cum Latinis factam, haud amplectuntur (de iis vero, qui amplectuntur illam adeoque vere pro Romanensibus habentur, nobis non est sermo) retinent dogmata maiorum suorum, quibus tum a Romanocatholicis; tum a protestantibus dissident. Patet id ex publicis illorum confessionibus et priuatorum doctorum monimentis, quibus fidei suae capita explicant. Nostra aetate illis accessit *catechismus* Ruthenorum *minor*, auspiciis PETRI imperatoris compositus et a IOANNE LEONARD. FRISCHIO Germanice editus 4. sine anni nota, et THEOCLETI POLYIDIS *tuba fidei*, quam nonnulli ex Graecis pro summa doctrinae suae reputare, haud dubitarunt. Lucem vidit Germanice ann. CIↃIↃCCXXXVI. 4. * De aliis Graecorum libris postea dicemus.

§. III.

* Vid. ven. IO. CHRIST. KOECHERI *biblioth. theolog. symbolic.* p. 63. sqq.

§. III.

Quum dissentiunt a Romanis, haud miramur, hos varia concepisse consilia et adhibuisse artes, Graecos sibi conciliandi; siue potius pontificis Romani potestati subiiciendi. Tentarunt id doctores Sorbonici, qui PETRO I. Rutheno-rum imperatori Lutetiae exhibuerunt litteras iisque latius exposuerunt, quomodo facile coniungere possit coetum Ruthenorum cum Romanensi. Sed sapientissimus princeps opportune respondit: si nihil inter vtrumque interst discriminis, satius esse, Gallos ad Ruthenos; quam hos ad illos transire sicque rem suo exemplo confirmare. Inanem vero esse Romanorum de consensu Graecorum iactantiam, eo tempore demonstrauit beatus auus noster, IO. FRANC. BVDDEVS, in commentatione de *ecclesia Romana cum Ruthenica irreconciliabili*, quae Ienae ann. CIↃIↃCCXIX. lucem vidit, postea Germanice conuersa: denique in eiusdem *miscellan. sacr.* part. II. p. 165. sqq. repetita fuit. *

§. IV.

Simillimus fuit consiliorum exitus, quae Latini ceperant, ope et auctoritate IEREMIAE III. patriarchae Constantinopolitani Graecos ad obse-

* Conf. *Samml. von alten vnd neuen theol. Sachen* ann. CIↃIↃCCXVIII. p. 331. FRID. CHRIST. WEBERI *verändert. Rußland*, tom. I. p. 433. cl. EL. CHRIST. REICHARDI *Staat von Rußl.* p. 732.

quium, sibi praestandum, adigendi. Voluerunt enim hominem illum, iure suo de sede sua depulsum, auxilio Turcarum in pristinum locum restituere, maxime postquam se in monasterium Latinorum receperat. Sed spes eum fefellit et grauissima sententia contra illum in senatu Turcico fuit prolata. *

§. V.

Per aliquod tempus fortunatior fuit exitus operae, quam Iesuitae maxime in eo collocarunt, vt Valachios et Graecos, Transsiluaniam colentes, pontifici subiicerent. Inde ab anno CIↃIↃCXCV. vsi sunt et episcopo; et aliis sacrorum ministris, *vnitorum* partibus addictis. Atuero ann. CIↃIↃCCXLIV. in illas regiones venit monachus Graecus et suis exhortationibus id effecit, vt maxima plebis pars declararet, se nolle doctrinam ritusque deserere; nec pergere, opera ministri vniti vti. Hinc magna tempestas aduersus miseram gentem excitata fuit; nec tamen haec minis et grauissimis vexationibus ad mutandas sententias commota. **

§. VI.

Dissensus inter Graecos et protestantes pari modo

* Vid. *Samml. von alten vnd neuen theolog. Sachen*, anno CIↃIↃCCXXXI. p. 502. et IAC. ELSNERI *Fortsetz. der Beschr. der Griech. Christen*, p. 80. 81.

** Vid. *act. historico-eccles.* tom. IX. p. 683. tom. X. p. 110. tom. XI. p. 694. tom. XII. p. 60.

modo supereſt. Quamuis enim negare nolimus, in aula Ruthenica mitiora de noſtra doctrina ferri iudicia ritusque nonnullos ſuperſtitioſos abrogatos eſſe, adeo vt haec quidem ad nos proprius acceſſiſſe videatur; * aeque tamen expeditum eſt, ſeruari ab illa eccleſia errores grauioris momenti: quales ſunt de proceſſione ſpiritus a patre ſolo: ** de virtute bonorum operum: de numero ſacramentorum, adeo vt, niſi hos relinquant, communio ſacrorum nobiscum inſtaurari nequeat. ***

§. VII.

Vix digna eſt, quae a nobis memoretur, legatio GRADINI Zinzendorſiana, ad patriarcham Conſtantinopolitanum, vt neſcio qualem coniunctionem fratrum ſuorum Morauicorum cum Graecis inſtauraret; aut potius aliis demonſtraret. Notum eſt inter omnes, nullos fuiſſe itineris huius fructus. ****

* Vid. IO. PETR. KOHLII *eccleſ. Graecam Lutheraniz.* Lubec. a. CIↃIↃCCXXIII. 8. et FRID. GVIL. LVTIENII *diſſert. de religione Ruthenorum hodierna*, quam, praeſide ſumme venerabili noſtro FEVERLINO, in hac academia ann. CIↃIↃCCXLV. defendit.

** Vid. *patris hiſtor. controu. de proceſſ. ſpiritus ſ.* cap. 9.

*** Conf. ven. CAR. GOTTL. HOFMANNI commentationes tres *de variis modis tranſitum ad Ruthenorum ſacra excuſandi*, Viteb. ann. CIↃIↃCCXLIV. editas.

**** Vid. *Büdingiſche Sammlung*, vol. II. p. 1. ſqq.

§. VIII.

Haec quum ita sunt comparata, non potest fieri, quin passim Graecorum scripta eristica prodeant aeque ac illorum dogmata ab illis confutentur. Ne exempla desideres, *

I. SISIMVS PERASTIANVS Graecus, qui in academia Patauina litteris operam dedit, libellum ibi iuris publici fecit: *De Christo paschate suum praematurc atque in pane fermentato celebrante*, cui SERRIVS ibidem singularem commentationem ann. CIↃIↃCCXXX. opposuit:

II. STEPHANVS IAVORSKIVS vastum volumen composuit, quod, tam auctore; quam imperatore PETRO, qui aeternis tenebris iusserat illud oppriimi, ex viuis sublatis, ann. CIↃIↃ-CCXXVIII. Ruthenice prodiit, hoc praefixo titulo: *Lapis; siue petra fidei.* Pugnat potissimum contra Lutheranos; neque obscure prodit, quaenam praecepta in scholis pontificiorum Polonicis illi fuerint tradita. Criminationes eius depulerunt IO. FRANC. BVDDEVS, IO. THEODORVS IABLONSKIVS, IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS, GEORG. BERNARD. BVLFINGERVS. BVDDEO quidem BERNARDVS

* ALEXANDRI HELLADII celebratissimum opusculum de *statu praesente ecclesiae Graecae*, ann. CIↃIↃCCXIV. 8. maiori iure ad libellos historicos; quam polemicos refertur. Inanes illius nugas ab illustri GESNERO confutatas esse, neminem fugit.

DVS RIBERA, Hiſpanus ex Dominici familia, contradixit; ſed tulit reſponſa a venerabili PFAFFIO. Idem RIBERA alio opere Graecos a Romanenſibus haud alienos eſſe, demonſtrare voluit; vix tamen credi poteſt, eum id iis, qui iisdem ſacris cum illo vtuntur, multo minus aliis perſuaſurum eſſe. *

III. THEOPHANES PROCOPOWICZ, qui inter recentiores Ruthenorum theologos doctrinae laude eminuit, ſcripſit *apologiam fidei, in qua reſpondetur ad litteras quasdam Lutheranorum*, in eiusdem *miſcellaneis ſacris*, Vratislau. ann. CIↃIↃCCXLIV. 8. coniunctim editis, p. 1. ſqq. denuo litterarum formis deſcriptam. Dederat monachus Graecus, MICHAELEMSCHI, litteras de *vera fide orientalis Graeco-Ruthenicae apoſtolicae eccleſiae*, ad theologos Regiomontanos. Qui quum illi reſpondiſſent variisque argumentis demonſtraſſent, eccleſiam Graecam non eſſe veram, oppoſuit iis THEOPHANES commemoratam apologiam.

§. IX.

Ex pontificiis MICHAEL LEQVIEN, ANGEL. MARIA QVIRINI, CAST. INNOC. ANSALDI contra Graecos pugnarunt. Ex proteſtantium coetu praeter hos, quos laudauimus, haud

* Controuerſiae notitiam ſuppeditat ven. patet in *der Einleitung in die Religionsſtreit. auſſer der Ev. L. K.* vol. V. p. 569. ſqq.

haud meminimus quempiam data opera contra eosdem disputasse, si a GEORGIO GVSTAV. ZELTNERO, ION. CONR. SCHRAMMIO, et recentioribus theologiae polemicae scriptoribus discesseris.

§. X.

Variae sectae, in quas longo abhinc tempore ecclesia orientalis discissa fuit, *Nestorianorum*, *Eutychianorum*, *Iacobitarum* aliorumque, seruatae vsque ad nostrum tempus fuerunt; sed qualis illorum sit status quaeue apud illos agantur, ignoramus. Quae recentiore aetate a viris doctis, RENAVDOTIO, LA CROZE, ASSEMANNO, LEQVIEN aliisque congesta fuerunt, ad horum coetuum historiam recte cognoscendam adprime quidem sunt adcommodata; nostris tamen vsibus parum inseruire queunt. *

§. XI.

Ruthenorum ecclesia per longum spatium turbata fuit a quam plurimis haereticorum *(Roskolnicki)* factionibus. Ingens eorum fuit numerus, itidem in plures partes diuisus. Praesules Ruthenorum minis et. suppliciis eos exstirpare studuerunt; sed id vnum consequuti sunt, vt miseri homines, quum cogi se intelligerent ad arma sumenda, saepius magnas clades hostibus adferrent.

* Vid. ven. BAVMGARTENII *Abriß einer Geschichte der Religionsparth.* sect. VII. p. 126. sqq.

rent. Mirum certe, Petrum imperatorem sine omni vi Russiam ab his turbis liberasse, vt in nonnisi remotissimis versusque septentrionem positis prouinciis tales homines supersint. Iussit enim eos, qui a ceteris Ruthenis cupiebant separari, laciniam rubram vesti adfuere, vt quisque haereticum ab orthodoxo discerneret. Hoc indigne ferentes, maluerunt opiniones suas cum doctrina Ruthenica commutare. *

SECTIO XI.

DE CONTROVERSIIS LVTHERANORVM.

§. I.

Nec noster coetus, puriori euangelii doctrinae addictus, suis caruit turbis et litibus domesticis,

* Quantum de his Ruthenorum haereticis; siue rectius schismaticis ad nos peruenit, sufficere videtur ad confirmandam nostram sententiam, eos maximam partem agi spiritu fanatico; nec solum de ritibus nonnullis externis; sed etiam de doctrinae capitibus disputare. Quaecumque vero de illis scimus, ea accepta ferimus CHRISTIANO MARTINI, qui in *der Nachricht aus Rußland* p. 61. sqq. excerpta luculenta dedit ex DEMETRII SARIZ *disquisitione fidei schismaticae.* Addi tamen debent: ven. PETRI VON HAVEN Reise nach Rusland p. 16. sqq. PHIL. IOANN. DE STRAHLENBERG *nord vnd ostlich Theil von Europa vnd Asia* p. 274.

ſticis, quas triſto animo enarrare adgredimur. Etenim quum haec ſint noſtra vota, vt communibus et veritatis et amoris fraterni ſtudiis animi doctorum noſtrorum regantur, vix dici poteſt, quantos dolores ſentiamus, ſi ab vna parte ob vaniſſimam gloriam, quae ex nouis ſententiis adquiri putatur, errores diſſeminari; ab altera ſaepius caritatis officia in arguendis aliorum opinionibus negligi: ab vtraque pacem et tranquillitatem nobis eripi, videmus. Hanc vero libet nobis praeſcribere legem, vt non omnes, quae inter noſtrates theologos fuerunt, diſceptationes enarremus; ſed eas tantummodo, quae de capite doctrinae habitae ſunt; aut alio nomine hoc loco, qui controuerſiis religioſis ſacer eſt, dignae eſſe videntur.

§. II.

Belli *pietiſtici* origines ad ſuperioris ſeculi hiſtoriam referuntur. Neque animus nobis eſt, fuſius illud enarrare. Sufficit id vnum notaſſe, pugnandi finem potiſſimum circa ann. CIↃIↃCCXXX. factum eſſe. * Quamuis enim ſubinde quaeſtiones, de quibus olim inter SPENERI amicos et hoſtes fuit diſputatum, denuo fuerint in

p. 274. ſqq. et 10. GEORG. GMELINI *iter Siberic.* tom. IV. p. 404. ſqq.

* Ablegamus lectorem ad ven. patris *Einleitung in die Religionsſtreit. der E. L. K tom.* I. p. 535. ſqq. *tom.* II. *tom.* IV. p. 1035. ſqq. et *tom.* V.

in controuersiam vocatae; iure tamen videntur ab istis dissidiis posse separari.

§. III.

Simili modo huius instituti rationes prohibent, quo minus de turbis, quae a GVIL. PETERSENIO, GOTTFR. ARNOLDO, CHRISTIANO THOMASIO, IOANNE MERKERO excitatae fuerunt; nec minus de disputationibus IVST. HENN. BOEHMERI de diuortio: IO. SAM. STRYKII de iure sabbati: IO. GEORG. BOESII, THOMAE ITTIGII et ADAMI RECHENBERGII de termino gratiae: IO. REINH. HEDINGERI de obseruationibus, quibus noui foederis libros illustrauit, item de syncretismo IO. FABRICII aliisque huius generis copiose agamus. Eo magis nobis licet in his argumentis tractandis esse breuioribus, quo maiori diligentia ea omnia venerandus pater meus exposuit.

§. IV.

Recentiore aetate nonnullae ex quaestionibus, ab illis disceptatae, denuo in controuersiam vocatae sunt. Quae de regno mille annorum inter beatos viros, IOACHIMVM LANGIVM et IO. ALB. BENGELIVM, fuere disputata, attingebant potissimum interpretationem apocalypticam; quo etiam spectant, quae a IACOB. KOCHIO et GOTTFR. KOHLREIFIO, itidem BENGELIO fuere obiecta. Huius quidem generis controuersias,

uersias, nisi simul de doctrinae capite agatur, ex numero litium religiosarum prorsus eximendas esse censemus.

§. V.

Maioris momenti est dogma de ἀποκαταστάσει et, quae cum hoc coniuncta est, quaestio: num infernales poenae fine cariturae sint; nec ne? Post PETERSENIVM error grauissimus, quo negatur, supplicia damnatorum fore aeterna, magna diligentia in lucem reuocatus et ab amicis eius, quantum in illorum potestate fuit, exornatus et defensus est. Patroni illius exstiterunt:

I. GEORG. KLEINNICOLAI, qui non solum varios libellos hanc in rem composuit, a PETERSENIO in *tomum primum* et *secundum mysterii apocatastaseos* translatos; et postea alia opuscula, ad ornandum aeternum euangelium edidit sed; etiam beato MOSHEMIO oppositit *gründ-liche vnd bescheidene Gedanken von der Ewigkeit der Hoellenstrafen* ann. CIↃIↃCCXXIX. *

II. CHRISTIANVS PAGEKOPIVS, cuius opera ann. CIↃIↃCCXXVII. 8. prodiit: *Die von I. W. Petersen gerettete Wahrheit des ewigen Euan-*

* Praeter ea, quae pater meus libr. cit. tom. V. p. 970. de hoc homine turbulenti ingenii tradidit, singulari diligentia res ab illo gestas eiusque monimenta enarrauit TRINIVS in *der Geschichte berühmter Gottesgelehrten* tom. II. p. 255. 438. et vol. III. p. 96. sqq.

Euangelii, licet nonnulli ſuſpicentur, opuſculi auctorem fuiſſe PETERSENIVM:

III. LVDOVICVS GERHARDVS, qui inter amicos iſtius ſententiae procul dubio principem locum obtinet. Protulit eam in *ſyſtemate ἀποκαταστάσεως, das iſt, einem vollſtaendigen Lehrbegrif des ewigen Euangelii*, ann. CIↃIↃCCXXVII. 4. in *ſupplementis, das iſt, gründlichen Rettung vnd Vertheidigung ſeines vollſtaendigen Lehrbegrifs*, ann. CIↃIↃCCXXVIII. et in *dem kurzen Begrif des ewigen Euangelii* ann. CIↃIↃCCXXX. 8. *

IV. WOELNERVS, ſacrorum Wuſterhuſanorum antiſtes, in *der heiligen Lehre von der Wiederbringung aller Dinge*, opuſculi breuiſſimi, quod ſine anni nota lucem vidit:

V. SIGISM: BAERENSPRVNG in der *Wiederbringung aller Dinge in ihrem erſten guten Zuſtand der Schoepfung*, an. CIↃIↃCCXXXIX. 8.

VI. Scriptor *der Betrachtung der allgemeinen Gnaden- vnd Liebeswege Gottes bey aller Menſchen Seligkeit*, Francof. et Lipſ. an. CIↃIↃCCXLII. 8. adiecit diſputationem contra ven. SCHVBERTI libellum, paucis interpoſitis, a nobis laudandum:

VII. CAR. CHRISTIANVS RESTELIVS, cuius ſtudio libellus SIEGVOLKII: *das von Ieſu Chriſto aller Creatur zu predigen befohlne ewige*

* Vid. patris libr. cit. tom. III. p. 260. ſqq. vbi data opera nugas GERHARDI confutauit.

ge Euangelium, nouis argumentis et obſeruationibus illuſtratus, litterarum formis deſcriptus fuit, Francof. et Lipſ. ann. CIↃIↃCCXLIII. 8.

VIII. SCHLITTIVS, WOELNERI, ſupra memorati, collega, in *der Schrift- vnd Vernunftmaeſigen Ueberlegung der beyderſeitigen Gründe für vnd wieder die ganz vnendliche Vnglückſeligkeit der Verbrecher Gottes*, itidem omiſſa nominis ſui mentione Francof. et Lipſ. ann. CIↃIↃCCCXLVI. 8. Haec commentatio complectitur omnia, quae ad excuſandum errorem facere poſſunt; neque indigna fuit, quae ab aliis diligentius confutaretur.

§. VI.

Haec virorum doctorum diligentia, parum laudabilis, ſi rem ſpectas, cui illam conſecrarunt, multum ſuperata fuit ab illorum induſtria, qui et fabuloſa; et ſaniori doctrinae et vitae ſanctiori admodum periculoſa eſſe, demonſtrarunt, illorum commenta. Quo loco haberi oportet:

I. Eos omnes, qui GERHARDO ſe oppoſuerunt. Clariſſima ſunt nomina et in omnium manibus verſantur ſcripta IO. LAVRENT. MOSHEMII, IO. FRANC. BVDDEI, GEORG. HENRICI GOEZII, BRANDANI HENRIC. GEBHARDI, FRIDERICI ADOLPHI LAMPII, vt de aliis, quos pater meus ſedulo commendauit, ſileam:

II. IACOB. VOSSIVM, qui contra BAE-

REN-

RENSPRVNGIVM edidit: *Ein Bekaentnis der Liebe Gottes nach der Wahrheit* Sedini ann. CIↃ-IↃCCXXXIX. 8.

III. IOANN. ERNEST. SCHVBERTVM, qui non ſolum in libro: *Vernünftige Gedanken von der Ewigkeit der Hoellenſtrafen*, len. ann. CIↃIↃ-CCXLI. 4. edito argumenta, quae ipſa ſana ratio * ſuppeditat, ad confirmandam veriorem opinionem collegit; verum etiam nouam illius editionem procurauit an. CIↃIↃCCXLII. 4. tum nouis rectisque praeſidiis, ex ſcriptura ſacra repetitis; tum vindiciis auctam contra ſcriptorem, cuius ſupra iniecimus mentionem:

IV. IOACH. ERNEST. STEINIVM, qui SCHLITTIO obiecit: *Belweis, daß die Lehre von der Wiederbringung aller Dinge in der Vernunft vnd Schrift nicht den allergeringſten Grund habe*, Guelferbyt. ann. CIↃIↃCCXLVIII. 4. Praefationem praemiſit CHRIST. ANDR. TEVBERVS eaque iuſto mitius de momento erroris iudicium tulit:

V. GEORGIVM ſacrorum miniſtrum annis multum prouectum, qui itidem aduerſus SCHLITTIVM pugnauit in *den vngereimten Dingen in einer Schrift zween vornehmer Wie-*

* Conf. ven. CHRISTOPH. MATTHAEI PFAFFII diſputationem theologicam de *perpetuitate poenarum infernalium ex ratione neque refutabili; neque demonſtrabili*, Tubing. ann. CIↃIↃCCXLVIII.

derbringer, Francofurti et Lipsiae ann. CIↃIↃCC-XLVII. 8.

VI. IOANN. FRIDER. STIEBRIZIVM, academiae Halensis philosophum clarissimum in *der erwiesenen Ewigkeit der Hoellenstrafen*, Hal. ann. CIↃIↃCCXLVII. 8. Disputat maxime contra SCHLITTIVM:

VII. PHILIPP. ERNEST. KERNIVM, qui eodem consilio, sine nominis mentione, iuris publici fecit: *Schutzschrift für die Ewigkeit der Hoellenstrafen*, Francof. et Lipsi. ann. CIↃIↃCCXLVII. 8.

VIII. HENR. MEENE, qui vberiores et eleganter scriptas vindicias commentationis, a beato MOSHEMIO de hoc argumento exaratae, dedit, quarum haec est inscriptio: *Vnpartheyische Prüfung der Abhandlung: schrift vnd vernunftmaesige Veberlegung*, Helmstad. anno CIↃIↃCC-XLVII. 2. vol. 8.

IX. IOANN. DANIEL. ZIMMERMANNVM, cuius commentatio: *Nichtigkeit der Lehre von der Wiederbringung aller Dinge*, Hamburg. ann. CIↃIↃCCXLVIII. 8. digna est laudibus, quibus exornata fuit. Tacemus de aliis nostri coetus doctoribus, qui oblata illis vsi sunt occasione, aeternitatem suppliciorum infernalium comprobandi et patronis damnatorum contradicendi.

§. VII.

Quum prouinciae Bremensis Verdensisque potestati augustissimi regis nostri subiicerentur atque

que

que in iisdem, perinde vt in ceteris Hanoueranis terris, *catechismo* IVSTI GESENII vti, doctores ann. CIↃIↃCCXXIII. iuberentur, fuerunt nonnulli, qui nollent morem gerere, quod libello varios errores contineri, sibi persuaderent. Hinc noua pugna exorta est, quae prudentia optimatum composita fuit, quum nouis ciuibus liberum relinquerent, suos catechismos, quibus antea vsi erant, retinendi. *

§. VIII.

In academia Ienensi ann. CIↃIↃCCXXII. suscitauit beatus IO. REINHARD. RVSIVS litem de descensu Christi ad inferos. Postquam in scholis suis dogma illud inter problemata theologica referre et sensu metaphorico interpretari consueuit, SEB. EDZARDVS binis libellis grauius in illum inuectus est. Cui vt responderet, RVSIVS in *harmon. euangel. tom.* I. p. 1220. sqq. suas de descensu Christi opiniones latius exposuit. EZARDVS perrexit, eum impugnare: RVSIVS, caussam suam agere, maxime in *digressione apologetica*, Ienae ann. CIↃIↃCCCXXX. 8. Noui hostes prodierunt in aciem, IOACH. CHRISTIAN. HOFMANNVS, IOANN. IOACH. WEIDNERVS, IOANN. TERNE, IO. GEORG. WEBERVS; nemo tamen ex his b. RVSIVM ad mutandam sententiam com-

* Vid. patrem loc. cit. tom. III. p. 249. sqq.

mouere potuit. Recentiſſima aetate praeter eos, qui aliud agentes quaeſtionem tractarunt, IO-ANNES CAROLVS RAVSCHENBVSCHIVS in *der - - Einleitung in die Lehre von der Hoel-lenfahrt Chriſti*, Buckeb. ann CIↃIↃCCLIV. 4.* et FRID. WITTINGIVS ** erroneas et doctrinae Lutheranae, in *formula concordiae* traditae, contrarias de hac re protulerunt ſententias. Puriorem praeclare confirmauit IO. BENED. CARPZOVIVS, theologus Helmſtadienſis, in *diſſertatione de deſcenſu Chriſti ad inferos* et in comment. de *ſpiritibus in cuſtodia.*

§. IX.

De fide iuſtificante inter SPENERI amicos & eorum aduerſarios multum fuit diſputatum, ita vt vix a ſuſpicione λογομαχίας poſſint liberari. Inprimis quaeſtio: num bona opera in iuſtificatione ſint praeſentia? bis in controuerſiam noſtro ſeculo fuit vocata. Ann. CIↃIↃCC-XXVII. IO. CASPAR. HAFERVNGIVS, theologus Vitebergenſis, qui Halenſibus fauere credebatur, in *meletemate de fide operoſa* docuit illam praeſentiam: quod alii improbarunt. *** Deinde

* Vid. *Goetting. gelehrte Anzeigen* ann. CIↃIↃCCLIV. p. 803.

** In ven. IO. DIETER. WINKLERI *anecdot. hiſtorico-eccleſ.* part. V. p. 666. ſqq.

*** Vid. ven. patris *Einleitung in die Religionsſtreit. der E. L. K.* tom. V. p. 433. ſqq.

inde IO. CONRAD. KLVGIVS, theologus Tremonienſis, ſibi non temperauit, quin beatum BVDDEVM et ven. PFAFFIVM publice adcuſaret, eos diſceſſiſſe a veritate, dum omnino quaedam bona opera in iuſtificatione adeſſe, recte ſtatuerent. BVDDEI cauſſam quum collega KLVGII, IOANN. DAVID. BRVGMANNVS, ſuſciperet, haud paruae turbae in coetu Tremonienſi excitatae ſunt, maxime quum exteri accederent, qui pro alterutra parte dimicarent. *

§. X.

Idem HAFERVNGIVS edita diſputatione de *ſupplicationibus Chriſti pro ſe ipſo*, Viteb. ann. CIↃIↃCCXXIX. haud obſcure tradidit, Chriſtum hominem neceſſitati, legem naturae ſeruandi, fuiſſe ſubiectum. Quae quidem ſententia quum aliena eſt a puriore doctrina, non defuerunt, qui illam confutarent. **

§. XI.

Caute etiam, ſi vnquam admitti fas eſt, interpretanda eſſe videtur beati IOANNIS GEORGII IOCHII opinio, quam in diſſertatione de *deſperatione ſalutari*, Viteb. ann. CIↃIↃCCXXX. habita, protulit. Quare non mirum eſt,

* Vid. ibid. tom. V p. 578. ſqq.
** Vid. ibid. tom. V. p. 439.

alios contra illam pugnasse, quibus iterum a IOCHII, breui post tempore pie defuncti, amicis responsum fuit. *

§. XII.

Eiusdem indolis fuerunt controuersiae binae, quae ad doctrinam de conuersione referuntur. Quaestio altera proposita fuit: num quemque oporteat tempus, quo ad frugem meliorem redierit, definite scire, ita vt si quis id ignoret, eum nondum conuersum esse, recte concludatur. De hac re disputari coepit ann. CIↃIↃCCXXXII. quo SAM. LAV, theologus Stolbergensis, libello breui, Germanice edito, *responsum* ad quaestionem memoratam in lucem emitteret. ** Altera de lucta poenitentiae agebatur, maxime inter nonnullos theologos Megapolitanos. *** De vtraque quum pater meus copiose disseruit, pauca tantummodo, quae ad caussam Dargunensem spectant, addere liceat. Scripserat illius historiam venerandus pater ann. CIↃIↃCCXXXIX. nec solum singula, quae in vtramque partem composita fuerant, monimenta enumerauerat; sed etiam ingenue erat confessus, quaenam sit ipsi de hac re sententia. Sed displicuit haec narratio viro docto, qui ei opposuit libellum:

* Vid. patrem loc. cit. p. 478. sqq.
** Vid. ibid. p. 491.
*** Vid. ibid. p. 553.

bellum: *Walchius illuſtratus, das iſt, abgenoethigte - - - - Beleuchtung deſſen, was Hr. D. Walch - - - von den Dargumiſchen Streitigkeiten zu erzehlen, beliebet*, ann. CIↃIↃCCXL. §. Quicumque illum legerit, facile intelliget, haud male eos iudicare, qui GEORG. FRID. STIEBERVM eum conſcripſiſſe, ſibi perſuadent. *

§. XIII.

Quo magis dolendum, prauiſſimam conſuetudinem, ſine iuſta cauſſa ſacra coena priuatim vtendi, inter noſtrates in dies magis confirmari; eo maiore laude digna fuit prouidentia regis Boruſſiae FRIDERICI GVILIELMI, qua anno CIↃIↃCCXXXI. ciuibus ſuis omnibus ab hoc abuſu ſe abſtinere, mandauit. Regium hoc mandatum in cauſſa fuit, vt IO. FRIDERIC. MENKENIVS libellum ederet: *Chriſtlichen - - Vnterricht von der Priuatcommunion* ann. CIↃIↃCCXXXIV. §. eoque contra morem iſtum, qui nullo modo excuſari poteſt, pugnaret. Nonnulli tamen theologi Saxonici ipſi obiecerunt opuſculum idque defenderunt contra alterum libellum MENKENII, quibus huius tertia reſponſio acceſſit. Eodem modo non nemo contra beatum IOANN. IAC. RAMBACHIVM diſputauit, qui exquiſitis argumentis rectiorem de hac re ſententiam confirmauerat. **

* Adde *acta hiſtorico-eccleſ.* vol. IV. p. 315. 453. 653. 661.
** Vid. ibid, tom. V. p. 1196.

§. XIV.

De visionibus, quas contigisse sibi nonnulli contenderunt, post PETERSENII commenta, bis dimicatum fuit a nostris theologis. *Primam* occasionem praebuit ann. CIↃIↃCCIX. IMMAN. PHILIPP. PARISIVS, diaconus Harzgerodanus, reformatae doctrinae addictus, qui Christum sibi adparuisse et nonnulla sereniſſimo hero suo nunciare, iussisse, testabatur. * *Secundam* ann. CIↃIↃCCXXXIII. IOANNES SCHWERDFEGERVS, civis Hornhusanus, qui moribundus, in caelum se raptum fuisse, profitebatur. ** Vtrumque euentum ita fuit comparatum, vt difficillimum esset, num naturale; an supernaturale fuerit, certe definire.

§. XV.

Anno CIↃIↃCCXXXV. miras turbas excitauit collectio hymnorum Nordhusana, quod magna pars canticorum veterum, quorum summa est apud nostros auctoritas & par vtilitas, ex illa fuerit proscripta. Auctores facinoris fuere KILIAN. VOLCMAR. RIEMANNVS, consul, IO. CHRISTOPH. TEBELIVS et FRIDER. CHRISTIAN. LESSERVS, qui in illa vrbe sacro munere fungebantur. Prudenter egissent, si aliorum admonitionibus obsequuti, tempestiue erro-

* Vid. ibid. tom. II. p. 782. et tom. V. p. 1033.
** Vid. ibid. tom. V. p. 1208. sqq.

errorem emendaſſent; ſed quum omnia a ſe recte et laudabiliter geſta fuiſſe, ſibi perſuaderent et aliis perſuaderi cuperent, non potuit fieri, quin grauiſſimi viri ſe opponerent, quibus haud pauci ex doctoribus & ciuibus Nordhuſanis ſe adiunxerunt. *

§. XVI.

De ritibus, quibus ſacra publica peraguntur, non ſolum inter theologos Brandenburgicos, quorum alii regio mandato, ſupra memorato obedientiam praeſtare ſuadebant; alii vero id officiis ſuis aduerſari, contendebant *, fuit diſputatum; ſed etiam longior controuerſia acta fuit Lennepae in prouincia Gueſtphaliae Montana. Nouas res ann. CIↃIↃCCXXXVI. moliebantur nonnulli ex ciuibus, maxime PETRVS MOLLIVS, cum quibus alter ex ſacrorum miniſtris, MIDDENDORPIVS faciebat; alter vero HACKENBERGIVS iure ſuo eorum conſiliis reſtitit. Tanta fuit animorum contentio, vt res ad ſummum magiſtratum deferretur et ſententia exterorum rogata MIDDENDORPIVS munere ſuo priuari iuberetur. **

§. XVII.

Inter ritus ſacros *confeſſio priuata* facile eminet, de qua omni fere tempore diſſenſerunt viri docti. Memorabilis inprimis eſt controuerſia beati

* Conf. *acta hiſtorico-eccleſ.* tom. III. ſqq.
** Conf. ibid. tom. V. et VII.

beati IO. GEORGII PERTSCHII, Iurisconsulti magni nominis. Scripserat commentarios de iure confessionis priuatae (*vom Recht der Beichtstühle*, Halae ann. CIↃIↃCCXXI. 4. editos iisque perinde ac in *historiae ecclesiasticae parte prima*, quam anno CIↃIↃCCXXXVI. in lucem emisit, haud obscure declarauerat, superstitiosum se habere ritum istum ideoque merito abrogandum. Opposuit illi beatus CHR. HENR. ZEIBICHIVS, theologus Vitembergensis, *epimetrum de retinendae confessionis priuatae necessitate*, ann. CIↃIↃCCXXXVI. 4. aliusque, qui nomen suum haud expressit, *Betrachtungen der - - Lehre von der Beichte*, Lubec. ann. CIↃIↃCCXXXVII. 8. Vtrique responsum dedit PERTSCHIVS, quum nouam editionem libri sui de iure confessionis Guelferbyti ann. CIↃIↃCCXXXVIII. 8. emitteret, amplissimis additamentis auctam. Caussam ritus egerunt cum FRIDER. BENED. CARPZOVIVS, qui legitimam disciplinam in Vitebergensi academia docuit, et *ἀνωνύμως* PERTSCHIO *stricturas* opposuit, ann. CIↃIↃCCXXXIX. 4. elegantissime exaratas, tum scriptor *meditationis*, supra laudatae, in *Pertschens Widerlegung - - mit Anmerkungen versehen*, Lubec. a. CIↃIↃCCXL. 8. Praeter haec de formula absolutionis disputauit illustris IO. IAC. MOSERVS, ita vt alii ipsi contradicerent. Negari nequit, plerosque, qui pro confessionis ritu pugnarunt, nonnumquam partium studiis nimis indulsisse.

§. XVIII.

§. XVIII.

IACOBVS CARPOVIVS, clariſſimus gymnaſii Vinarienſis rector, variis controuerſiis celebris fuit. Ea quidem, quae contra illius theologiam dogmaticam, ad praecepta ſcholae Wolfianae adcommodatam, monita fuere, iam ſilentio praetermittimus. Pertinent enim maximam partem ad hiſtoriam philoſophiae Wolfianae, quae a noſtris rationibus eſt aliena. Binae vero controuerſiae, ab illo excitatae, omnino huc ſpectant. Altera nata fuit ex libello, quem *pſychologiae ſacratiſſimae* titulo inſcriptum, edidit Ienae ann. CIↃIↃCCXXXVII. 4. Ibi haud obſcure tradiderat, et prima corporis Chriſti ſtamina; et animam eiusdem in vtero Mariae fuiſſe creata. Eodem tempore ſcriptor opuſculi Gallicani: *Diſſertation ſur l'ame de Ieſus Chriſt*, Londini ann. CIↃIↃCCXXXIX. quod a cl. ROQVESIO, Baſileenſi ſacrorum miniſtro, compoſitum fuiſſe, nemo neſcit, plane contrariam ſententiam protulit animamque Chriſti praeexſtitiſſe, demonſtrare ſibi ſumſit, ab aliis, maxime a ſumme venerabili LAVR. HAGEMANNO, abunde confutatus. Eidem CARPOVIVS obiecit: *pſychologiae ſacratiſſimae partem alteram*, Ienae ann. IↃIↃCCXL. 4. eademque ſuam opinionem denuo confirmare ſtuduit. Quum beatus IO. FRID. BERTRAMVS vniuerſe doctrinam Wolfianorum de praeexſiſtentia animarum conuelleret in *der - - Pruefung der Meinung von der Praeexiſtenz*

ſiſtenz menſchlicher Seelen, Bremae ann. CIↃIↃCCXLI. 8. non potuit non ſimul Carpouianae ὑποθέσει de origine animae Chriſti contradicere. Reſpondit CARPOVIVS in *diſquiſitione de ſtamine humanitatis Chriſti*, cuius binae partes exſtant, Ienae ann. CIↃIↃCCXLI. 4. ita vt haud obſcure erroneam de origine corporis Chriſti ſententiam defereret; priſtinam vero de anima illius opinionem retineret. Alii quoque occaſione, ſi qua illis fuerit oblata, vſi ſunt, CARPOVIO nonnulla obiiciendi.

§. XIX.

Altera diſputatio CARPOVIO fuit de nobiliſſima quaeſtione: num Chriſtus pro ἀπιςία finali eorum, qui contra Spiritum ſanctum peccarunt, ſatisfecerit; nec ne? Arctius quidem illa cum doctrina de peccato in Spiritum ſanctum coniuncta eſt, quae noſtra aetate ſaepius fuit in controuerſiam vocata. Sed de hac lubet iam ſilere, quum rem potius exegeticam; quam theologicam, ſi ſtrictior huius vocis accipitur notio, eſſe, cenſemus. Sufficiat ergo, monuiſſe, cl. CARPOVIVM, vt cauſſam explicaret, cur Deus peccatoribus in Spiritum ſanctum ignoſcere nequeat, negaſſe, Chriſtum pro illis ſatisfeciſſe. Diſplicuit ſententia, quae vniuerſalitatem meriti Chriſti videtur tollere; ſed vere non tollit, ven. IOANNI ENGESTROEMIO, qui nunc inter Sueciae epiſcopos locum obtinet. Edidit igitur diſputationem

tionem *de satisfactione Christi pro peccato in Spiritum sanctum*, Lund. anno CIↃIↃCCXLVI. 4. Cauſſam ſuam egit CARPOVIVS in decem *ſpeciminibus illuſtrationis apologeticae peccati in Spiritum ſanctum*, Vinar. an. CIↃIↃCCXLVI. ſqq. 4. Addidit *tria* ſpecimina contra ven. IOACH. HARTMANNVM, theologum Roſtochienſem, qui in binis diſſertationibus de *actu reprobis vero redemtionis Chriſti obiecto*, an. CIↃIↃCCXLVIII. itidem contra CARPOVIVM pugnauerat. ENGESTROEMII patronum ſe geſſit ven. OLAVS PETRVS OEHRLINVS in *parte prima obſeruationum, quibus oſtenditur, perſeuerantiam finalem non eſſe peccatum in Spiritum ſanctum*, Lipſ. et Viſmar. anno CIↃIↃCCXLVII. 4. Denique HARTMANNVS collectionem ſcriptorum, quae hanc in rem exarauit, Roſtoch. ann. CIↃIↃCCLV. 4. edidit.*

§. XX.

Quaeſtio de ſtatu animarum, a corpore ſeparatarum, omni tempore philoſophis praebuit ampliſſimam diſputandi cauſſam, qua carere poſſunt theologi, qui in Diuinis de hac re oraculis adquieſcunt. Nihilominus et inter hos fuerunt noſtra aetate, qui nouas coniecturas quum proferre vellent, a recta via declinarent. IO. VLRICVS TRESENREVTERVS, qui Coburgenſium gymnaſium directoris vice gubernabat, in *commen-*

* Vid. ven. KRAFTII *bibliothec. theol.* tom. XI. p. 449.

commentatione de ſtatu medio animarum a corpore ſeparatarum, an. CIↃIↃCCXL. 4. edita, ſibi haud temperauit, quo minus beatas animas viſione Dei frui, damnatas ſuppliciis aeternis adfici, negaret, antequam vtraeque cum corpore denuo coniunctae, coram tribunali Chriſti adparuiſſent. Inter illos, qui falſam ſententiam confutarunt, eminet ven FRIDERIC. EVSEB. SIMON.* Nonnulli non ſine cauſſa reiecerunt ſententiam ven. IO. ERNESTI SCHVBERTI, manere animam in corpore, a quo diſiuncta fuerit, et ſimilem opinionem cl. CARPOVII, animam Chriſti, diſſoluto vinculo naturali, non localiter a corpore diſceſſiſſe, contra quam ven. IO. HENR. BECKERVS diſputauit. Quae a vener. CHRISTOPH. BVRKMANNO, theologo Noribergenſi, excitata fuit controuerſia, num ſuperſit aliquid commercii inter viuos et mortuos, breui feliciter fuit compoſita. **

§. XXI.

Beatas animas ſeruare memoriam amicorum, qui cum illis coniuncti fuere, multi docuerunt; nec meminimus, illis quemquam repugnaſſe. Alia vero prolata fuit quaeſtio, quae plerisque videtur problematica, num beati pro amicis, in hac terra relictis,

* Vid. *acta hiſtorio-eccleſ.* tom. V. p. 951. ſqq. tom. VI. p. 462. et tom. VII. p. 1119. ſqq.
** Vid. ibid. tom. IX. p. 765. ſqq. tom. XI. p. 549.

relictis, fundant preces. * Vtrique tertia acceſſit quaeſtio, de qua ven. WILISCHIO cum nonnullis fuit diſputatio, num liceat, moribundos rogare, vt aliis, antea mortuis, nomine ſuperſtitum, ſalutem dicant. Theologi Lipſienſes WILISCHIVM, qui id adfirmauerat, ab omni erroris ſuſpicione liberum eſſe, pronuntiarunt. **

§. XXII.

Grauiſſimum et ſi quid iudicamus, theologi Lutherani perſona maxime indignum errorem concepit animo IOANN. THEODORVS WAGNERVS, ſacrorum Vezenouienſium in Brandenburgica prouincia miniſter, expreſſitque in libro: *Verſuch, ob die Lehre vom Ebenbilde Gottes nicht ſchrifftmaeſſiger einzurichten ſtehe*, edito Sedini anno CIↃIↃCCXLIX. 8. Tres ponit ſubſtantias generis humani, marem, feminam et vtriusque prolem referre imaginem ſanctiſſimae trinitatis hancque vnicam eſſe contendit ſimilitudinem, quam inter Deum et homines eſſe, benigniſſimus creator voluerit. Illi oppoſita fuit breuis commentatio: *Vnterſuchung der neuen Lehre vom Ebenbilde Gottes*, Hal. ann. CIↃIↃCCL. 8. cuius auctorem eſſe cl. GEORG. THEOD. MVLLERVM, perhibent. *** Addidit WIGANDVS inficetum

* Conf. ven. KRAFTII *biblioth. theolog.* tom. I. p. 563.
** Vid. EVMDEM tom. IX. p. 650.
*** Conf. ven. BAVMGARTENII *Nachricht von einer hallischen Biblioth.* vol. V. p. 543.

ficetum libellum: *weitere Ausführung vnd Beſtaetigung der ſogenannten neuen Lehre vom Ebenbilde Gottes*, Sedini ann. CIↃIↃCCLI. 8. cui MVLLERVS obiecit: *kurzen Bericht wegen der Schrift: weitere Ausführung*, cet. Hal. an. CIↃIↃCCLI. 8. Acceſſit SAM. NAGELIVS, qui itidem docte et adcurate aduerſus WIGANDVM diſputauit in *der Lehre vom Ebenbild Gottes wider die ſchriftmaeſſigere Einrichtung*, cet. Sedini ann. CIↃIↃCCLII. 8. Eodem labore rite functus eſt HENR. HOECKIVS in *den Beytraegen zum Verſtand einiger Schriftſtellen*, part. III. p. 175. ſqq. Quae ven. GEORG. VENZKIVS in *der Herrlichkeit des Ebenbildes Gottes*, hanc in rem adtulit, caute legantur; monemus.

§. XXIII.

Nec ſibi SAM. NEVMANNVS, theologus Pomeranus, temperauit, quo minus errorem, Socinianorum alioquin proprium, temere amplecteretur et traderet in *den Betrachtungen vber die eigentliche Vrſache vnd Abſicht, warum Gott den Tod vber die Menſchen verhaenget*: edit. Prenzlou. ann. CIↃIↃCCXLIX. 4. Haud dubitanter adfirmauit, mortis cauſſam neceſſariam eſſe ipſam hominis naturam, ideoque certiſſime homines morti fuiſſe obnoxios; licet numquam peccauerint. Tempeſtiue ven. BAVMGARTENIVS declarauit, reuelatae religioni prorſus contrariam

eſſe

esse hanc sententiam. * Exemplum eius sequutus, GEORG. THEOD. MVLLERVS opposuit: *Prüfung der Betrachtung vber die eigentliche Vrsach vnd Absicht, warum Gott den Tod vber die Menschen verhaengt*, et adcurate demonstrauit, mortis possibilitatem a natura hominis, necessitatem et exsistentiam a solo peccato esse deducendam. Simili modo aduersus NEVMANNVM pugnarunt cum ven. IO. FRIDERIC. BARDTIVS in *den Schrift vnd Vernunftmaessigen Beweisen, daß die Sünde die eigentliche Vrsach des Todes sey, gegen die neuesten Einwürfe*, Lipsi. anno CIↃIↃCCLI. 8. tum cl. VENZKIVS in adpendice opusculi: *die Herrlichkeit der verklaerten Koerper in iener Welt*, Vratisl. ann. CIↃIↃCCLII. 8. Non male sibi consulent, qui binas commentationes *de reliquiis gentilismi in opinionibus de morte*, a ven. CRVSIO Lipsi. proximo anno editas diligentius legerint.

§. XXIV.

Nec mitius sentire possumus de opinione BERNARDI CHRISTIANI KOSEGARTENII, qua ausus est ipsam de Christo doctrinam deprauare. Edidit enim epistolam ad ven. IOACH. HARTMANNVM, ita inscriptam: *vntersuchte Lehre vom Stande der Erniedrigung des Erloesers*, Neobrandenburg. anno CIↃIↃCCXLVIII. eaque

* loc. cit. tom. IV. p. 82. sqq.

sententiam de statu Christi exinanitionis protulit, quam libris nostrae ecclesiae symbolicis aduersari, ipse confessus est. Totam enim doctrinam de persona Christi et de communicatione idiomatum misere corrupit. Laudabili igitur consilio venerabile theologorum in academia Rostochiensi collegium his conatibus restitit: scriptorem epistolae non solum errorum arguit; sed etiam iureiurando obstrinxit, vt reiiceret errores iisque opposita dogmata rectiora et animo amplecteretur; et ore profiteretur. Hanc in rem testatur libellus, ab eodem ordine in lucem editus: *Auszug der erheblichsten Irrthümer einer - - - unterdruckten Schrift, betitelt: - - - deren Vrheber solche seine Irrthümer vor der theologischen Facultaet zu Rostock saemtlich erkannt vnd eydlich widerrufen* - - Rostoch. ann. CIↃIↃCCL. 4. * Quae eidem KOSEGARTENIO posthaec cum cl. CHRISTIANO ZIEGRA intercessit, disputationem de peccato in filium hominis et Spiritum sanctum omittimus, quum ad quaestiones exegeticas referri debeat.

§. XXV.

Tristi animo accedimus ad controuersiam de efficacia verbi Diuini, quam nostra aetate vener. IOANN. ERNEST. SCHVBERTVS instaurauit.

Quo

* Conf. ven. KRAFTII *theol. Biblioth.* vol. V. p. 518. sqq.

Quo minus enim quisque bonus et doctrinae, in libris ecclesiae Lutheranae symbolicis traditae confirmataeque peritus exspectare potuit, futurum esse inter spectatissimos nostrae sanctioris doctrinae doctores, qui dogmata, Pelagianis eroribus et Arminianis ratiocinationibus simillima, reciperet in tutelam ac ceteros, qui in salutari de Diuinis in animis nostris operationibus doctrina, gloriantur, enthusiastici furoris adcusaret; eo grauius ferre omnes, quibus veritas curae est, oportet, celeberrimum virum sibi animum induxisse, de virtute verbi Diuini ita philosophari, vt derelictis sententiis doctorum ὀρθοδοξοτάτων, moralem esse efficaciam proderet, quae argumentis, ad persuadendum et ad commouendam voluntatem adcommodatis, absoluitur, adeoque licet caussa ob originem eius sit diuina; effectus tamen vere modo naturali produci. Hanc opinionem licet in quamplurimis ingenii monimentis, maximopere in *institut. theolog. dogmat.* p.478. sqq. 502. sqq. et in *introduct. in theol. reuelat.* p.349. sqq. 362. sqq. 422. sqq. haud obscure tradidisset; nec officio suo, arguendi huius generis errores, defuissent *ephemeridum theologicarum* scriptores; controuersiae tamen verae origines repeti debent a commentatione vener. ERNEST. AVGVST. BERTLINGII, de *spiritu καταρτίζοντι*, qua sacra pentecostes in academia Iulia Carolina ann. CIↃIↃCCLI. indixit et doctrinam de gratia operante exposuit. Ab eo tempore vener. SCHIV-

BERTVS opiniones suas studiose explicauit et defendit in *disputatione de virtute verbi Diuini, physica; an morali?* Helmstad. anno CIↃIↃCC-LIII. 4. in *dem Vnterricht von der goettlichen Kraft der heiligen Schrift*, Ienae a. CIↃIↃCCLIII. 4. in comm. *de Spiritu sancto non concurrente ad opus conuersionis; sed illud vnice operante*, Helmstad. ann. CIↃIↃCCLV. 4. in *dem Bedenken von dem Paionismus*, Ien. ann. CIↃIↃCCLV. 4. Ex illis, qui SCHVBERTO contradixerunt, praeter venerabiles theologos, BAVMGARTENIVM, HOFMANNVM, CRVSIVM, CARPZOVIVM Helmstadiensem, et QVISTORPIVM, inprimis memorari oportet ERN. AVG. BERTLINGIVM, qui tum in *obseruationibus*, quibus nouam editionem Gedanensem scripti *Schubertiani* de Paionismo, ann. CIↃIↃCCLVI. 4. auxit; tum in luculento libro: *Deutliche vnd mit den eigenen Worten orthodoxer Theologen ausgefertigte Vorstellung, was die Lutherische Kirche von der Kraft der heiligen Schrift lehre vnd nicht lehre*, Gedani ann. CIↃIↃCCLVI. 4. doctrinam puriorem abunde illustrauit et a suspicione enthusiasmi vindicauit. Illi accesserunt cl. CAROL. SAM. KRAVSIVS in commentatione de *concursu Spiritus sancti cum suo verbo a singularibus celeberrimi cuiusdam theologi vindicato*, Lipsiae ann. CIↃIↃCCLIV. 4. et in *dem Erweis des wahren Begrifs von der Kraft des goettlichen Worts, wobey zugleich das Lehrgebaeude des hochw. Herrn Abts Schu-*

Schuberts von der goettlichen Kraft der heiligen Schrift geprüft vnd mit der Lehre des Pajons verglichen wird, Lipſ. ann. CIↃIↃCCLVI. 8. et ſumme reuerendus FRIDER. GVIL. KRAFTIVS, qui in *bibliotheca theologica* illuſtria edidit veritatis teſtimonia, a cl. GEBHARD. THEOD. MVLLERO collecta et obſeruationibus colluſtrata, Lipſ. ann. CIↃIↃCCLVI. 8. quibus tamen vt *praefationem*, volumini *duodecimo* eiusdem *bibliothecae* praemiſſam, adiungas, neceſſe eſt.

CAPVT VI.
DE
VEXATIONIBVS CHRISTIANORVM EXTERNIS.

§. I.

Tantum eſt inter homines, a veritate alienos, erga hanc ipſam odium, vt quantum in illis eſt ingenii aut poteſtatis, id omne ad eam exſtirpandam et amicos eius miſere vexandos conuertant. Quare non mirum eſt, nullo non tempore exſtitiſſe Nerones, qui de nomine Chriſtiano delendo conſilia caperent atrociſſima; tamen inter diuina beneficia primo loco ponendum eſt, voluntati hoſtium recentiore aetate ſaepius vires impares fuiſſe: ſaltem ea, quae decreuerant, ad exitum non potuiſſe perduci.

§. II.

Vexationum, quibus Christianae religioni addicti a superstitiosis idolorum cultoribus adfecti sunt, varia inprimis exhibentur specimina in annalibus rerum, quae hoc seculo in imperio *Chinensi* gestae sunt. Quamuis enim initia illius satis laeta fuerint sub imperatore KAM-HI, apud quem magna fuit Iesuitarum auctoritas; eo tamen d. XX. Decembr. ann. CIↃIↃCCXXII. ex hac vita sublato, qui in locum eius successit YONG-TCHING, ministris et prouinciarum rectoribus permisit, Christi cultores persequi eorumque aedes sacras diruere. Ipse sacerdotes Romanenses custodiae mandauit, vt ne Christianam doctrinam aliis nunciare pergerent. Ab illo tempore rara fuit Christi cultoribus, saltem illis, qui a Loiolae familia sunt alieni, in his prouinciis pax. *

§. III.

Nec coetus, a nostratibus in orientis tractibus Christo collecti, suis caruere hostibus. Loquuntur hanc in rem litterae a legatis sacris in Europam missae et illustria praedicant virtutis et con-

* Vid. IO. BAPT. DV HALDE *commentarios de rebus Chinensibus tom.* III. p. 158. edit. German. et b. MOSHEMII *neueste Chinesische Kirchengeschichte* p. 77.

conſtantiae ſpecimina, quae homines, ad ſacra Chriſtiana conuerſi, dederunt. *

§. IV.

Cuperemus certe, finire hanc de triſti argumento orationem. Hiſtorici tamen, quod ſuſcepimus, officium addere nos cogit, nondum Chriſtianos deſiiſſe Chriſtianos perſequi. Vniuerſa res ſacra proteſtantium hoc quoque ſeculo experta eſt, quonam ergo illos animo ſint Romanenſes, quibusque armis hi vti ſoleant, vt exſtinguant, ſi fieri poſſit, coetum eorum, qui purioribus ſacris dediti ſunt.

§. V.

De Luſitania, Hiſpania Italiaque lubentes ſilemus. Deo ſoli cognitum eſt, num inter tot miſerrimorum hominum greges, qui haereticorum infamia notati, flammis; aut ferro conſumi conſueuerunt, fuerint etiam, qui rectiori ritu illum colere ſuſtinerent.

§. VI.

In Gallia non ſatis habuere hoſtes, ex patriis ſedibus ingentem ciuium numerum expellere; ſed etiam omnem in eo collocarunt operam, vt, praemiis, minis, ſuppliciis et armata manu eos, qui in Gallia remanſerunt, cogerent, ſententias

* Conf. ſcriptores, ſupra p. 29. laudatos.

mutare. Nihilominus Diuina benignitate accidit, vt omni opinione maior ſuperſit in Gallia proteſtantium numerus, qui mirifica animi conſtantia quaeuis mala tolerare; quam ad caſtra pontificiorum transfugere malunt. *

§. VII.

Quamuis ius libertasque ſacrorum euangelicorum in Germania ſanctiſſimis legibus munita ſit; quotidiano tamen rerum vſu experiuntur proteſtantes; nec legum auctoritatem ſufficere ad coercendam hoſtium libidinem, vim illis inferendi. Nimis longum fore, exiſtimamus, lites ſingulas enarrare, quae euangelicis cum Roma-

* Perſequutiones Hugonottarum Gallicanas qui ſcire cupiunt, legant, *l'accord. parfait de la nature, de la raiſon, de la revelation et de la politique* tom. II. p. 339. ſqq. et tom. III. p. 43. ſqq. *memoire hiſtorique de ce qui s'eſt paſſé de plus remarquable au ſujet de la religion reformée en pluſieurs provinces de la France*, commentatio, quae legentibus non poteſt non lacrimas extorquere, adiecta tomo II. libelli: *le patriote François et impartial.* Plura tamen dabunt, quos breui prodituros eſſe, accepimus, libri: *hiſtoire des troubles des Ceuennes ou de la guerre des Camiſards*, et: *hiſtoire des egliſes reformées de France depuis la revocation de l'edit de Nantes.* Exſtant quoque nonnulli libelli Germanici, quibus idem argumentum explicatur, ſed minimam eorum, quae ſciri debent, partem continent. Maioris momenti ſunt, quae in *lettre d'un patriote ſur la tolerance ciuile des proteſtans de France*, ann. CIↃIↃCCLVII. 8. leguntur.

Romanenſibus intercedunt et ſolemni *grauaminum religioſorum* nomine celebratiſſimae ſunt, maxime quum alibi vſi ſumus oblata nobis occaſione, maximam illarum partem enumerandi. * Calamitatum maximarum, quibus ſaepius euangelicas prouincias, vrbes; aut villas videmus obrui, ſi veras cauſſas inueſtigare libet, eas maximam partem in mutationibus religionis, ab heris illarum ſaepius de leuioribus cauſſis ſuſceptis, poſitas eſſe, intelligimus. Quare nullum, putamus, officium ſanctius eſſe ſubditorum; quam conſtanter Deum precandi, vt principes aliosque, quibus ſubiecti ſunt, in fide vera conſeruet. Addimus, doctrinam illam de *iure ſimultanei*, quam plerique partis aduerſae iuriſconſulti adoptant, vberrimi fontis inſtar, innumeras querelas eſſe cauſſatam. **

§. VIII.

Grauiſſimae inprimis fuerunt vexationes, quas proteſtantes in prouinciis Auſtriacis perpeſſi ſunt. Sileſi-

* Vid. noſtram *hiſtoriam religionis Lutheran.* libr. III. cap. I. vbi et alios ſcriptores laudauimus, qui in hoc argumento tractando verſati ſunt. De recentioribus grauaminibus diligentiſſime egerunt cl. BARTHOLOMAEI in *act. hiſtorico-eccleſ.* et illuſtris MOSERVS in *dem Reichstagsarchiv.*

** Breuiter; ſed adcurate controuerſiam nobiliſſimam explicant autores *repertorii iuris publici et feudalis*, p. 1183. ſqq. et cel. IVSTVS CAROL. WIESENHAVERVS in *den Grundſätzen des Kirchen-Staats-Rechts der Proteſt.* p. 241. ſqq.

Sileſios ab his fuiſſe liberatos, ſupra diximus. In Vngaria inprimis ac Tranſiluania lugubri vtuntur fortuna et ſtudia hoſtium exſtirpandi euangelicos, in dies ſentiunt. * Salisburgenſium motuum ſupra dedimus hiſtoriam.

§. IX.

Tandem in Polonia diſſidentes, hoc enim nomine ſignificantur omnes, qui a ſacris Romanis ſunt alieni, odio hoſtium ſuorum acerbiſſimo eſſe expoſitos hosque quauis vti occaſione, priſtina proteſtantium iura violandi, triſtiſſima ſuperſunt exempla. Ea inprimis clades, quam rei ſacrae Thorunienſi ann. CIↃIↃCCXXIV. intulerunt inimici, omni aeuo in annalibus poſterorum memoriae commendabitur, vt ſciant, quanta fuerit Polonorum erga miſeros homines ira. **

CAPVT VII.

DE CONCILIIS.

§. I.

Concilia doctorum; aut alios conuentus religioſos cogendi conſuetudo licet ſuperioribus ſeculis frequentiſſima fuerit; noſtro tamen penitus

* Vid. noſtram *hiſtoriam relig. euangel. Luther.* p. 573. ſqq.
** Vid. IAC. HENRIC. ZERNECKENII *chronicon Thorunienſe*, p. 445. ſqq.

tus videtur esse abrogata. Nec arduum est, causas cognoscere, cur nec Romana ecclesia; nec protestantium coetus huiusmodi conuentus agere, pergat. Nihilominus bina commemorari debent concilia, non vniuersalia; sed prouincialia.

§. II.

Alterum indixit BENEDICTVS XIII. pontifex Romanus et d. XV. april. ann. CIↃIↃCCXXV. celebrare coepit in palatio Lateranensi, vnde nomen sortitum est. Non dubitamus, bonam fortasse fuisse senis voluntatem, vitiis, quibus infecta est Romana ecclesia, medendi; sed expertus est, nolle homines emendari. Hinc factum est, vt laboris sui plane nullum fructum sentiret. Conditi quidem sunt canones, partim ad doctrinam sacram; partim ad regimen ritusque relati; sed tamdiu de auctoritate eorum fuit disputatum et integra regna obsequium illis praestare tam constanter negarunt; vt vanissimum fuisse Lateranense concilium, nemo dubitet. *

§. III.

Alterum in Gallia ab episcopis Delphinatus Ebredumi d. XVII. Aug. anno CIↃIↃCCXXVII. haberi coepit. Pertinet ad litem, propter bullam

* Vid. patris mei comment. de *concilio Lateranensi, a Benedicto XIII. celebrato*, Lipsi. ann. CIↃIↃCCXXVI. 8.

lam vnigenitus commotam. Ferebant congregati praesules sententiam grauiorem in IOANNEM SOANEM, episcopum Sanitiensem, qua litterae eius, contra legem *Clementinam* scriptae, et ipse dignitate sua priuatus est. *

§. IV.

Congregationes episcoporum, quae subinde in Gallia et Anglia haberi solent; nec minus synodi ministrorum ecclesiae Reformatae tum in Belgio; tum in nonnullis Germaniae prouinciis prorsus ab hoc loco sunt alienae. Quare nihil superest; quam vt immortali Deo salutem rei Christianae et euangelicae conseruandam, stabiliendam amplificandamque piis precibus commendemus lectoremque, vt nostris sua vota adiungat, cohortemur.

* Conf. *concilium prouinciale Ebreduni habitum*, editum ann. CIↃIↃCCXXVIII.

NOTI-

NOTITIA CAPITVM, SECTIONVM ET NVMERORVM.

CAPVT PRIMVM de doctoribus religionis Christianae illustribus p. 3 - 22.
Praemissa tractandi ratione §. I. p. 3.
Laudantur theologi *Lutherani*, §. II. p. 4.
Reformati, §. III. p. 13.
Romano-catholici; atque in his tum pontifices, §. IV. p. 17.
tum alii scriptores, §. V. p. 17.
Graeci, §. VI. p. 20.
Arminiani, §. VII. p. 21.

CAPVT SECVNDVM de propagatione religionis Christianae et euangelicae p. 21 - 51.
Tradito dicendi ordine §. I. p. 21.
Narrantur legationes sacrae *Danorum* §. II. p. 23.
Et *Anglorum* in *India orientali* p. 27.
Belgarum, Batauiae §. III. p. 30.
Ecclesia Lutherana in *capite bonae spei* §. IV. p. 31.
In *noua Georgia* et aliis *Americanis* coloniis §. V. p. 31.
In *Groenlandia* §. VI. p. 34.
et in *Lapponia*, §. VII. p. 36.
Institutum *Callenbergii* Iudaicum, §. VIII. p. 36.
Migratio *Salisburgensium*, §. IX. p. 38.
Reddita pax in *Silesia*: templa Lutheranorum in *Russia*, *Constantinopolitanum* et in *Walachia*, §. X. p. 40.
Anglorum merita summa in propaganda Christiana religione inter *Scotos* montanos, et in *America*, §. XI. p. 42.

Belga-

Belgarum in *India orientali*, §. XII. p. 44.
Controuersiae missionariorum pontificiorum inter se, §. XIII. p. 44.
Legationes illorum in *India orientali*, §. XIV. p. 47.
in imperio *Sinensi*, §. XV. p. 48.
apud *Tunquinenses*, §. XVI. p. 49.
apud *Iaponenses*, §. XVII. p. 49.
in *Africa*, §. XVIII. p. 50.
in insulis *Moluccis*, §. XIX. p. 50.
in *America*, §. XX. p. 50.
Ruthenorum in hoc genere mirifici progressus p. 51.

CAPVT TERTIVM de doctrinae Christianae et euangelicae statu praesenti p. 52-61.
Generatim notatur magna copia librorum theologicorum, §. I. p. 52.
Speciatim pontificiorum et Graecorum constantia in retinenda pristina forma doctrinae. Vindobonensis, Gurcensis et QVIRINI studia, §. II. p. 52.
Lutheranorum conatus, philosophorum formulas proscribendi, §. III. p. 53.
Wolfianorum immutationes, §. IV. p. 53.
sensim reiectae, §. V. p. 54.
Codicis sacri nouae versiones, §. VI. p. 55.
studii *exegetici* incrementa, §. VII. p. 56.
status theologiae dogmaticae, §. VIII. p. 58.
symbolicae, §. IX. p. 58.
polemicae, §. X. p. 58.
moralis, §. XI. p. 58.
iurisprudentiae diuinae, §. XII. p. 59.
iurisprudentiae ecclesiasticae, §. XIII. p. 59.
historiae ecclesiasticae, §. XIV. p. 60.
artis homileticae, §. XV. p. 60.
conclusio, §. XVI. p. 61.

CAPVT QVARTVM de ritibus, regimine et disciplina ecclesiastica, p. 62-80.
Exposita dicendi ratione, §. I. p. 62.

narran-

narrantur viciſſitudines rituum inter proteſtantes, §. II. p. 62.
dies ſeculares, ab illis celebrati, §. III. p. 64.
imminutus numerus dierum feſtorum, §. IV. p. 65.
controuerſia paſchalis, §. V. p. 65.
lites de re matrimoniali, §. VI. p. 66.
abuſus, §. VII. p. 66.
Libertas ſacrorum ſeruata, §. VIII. p. 66.
Diminuta diſciplina, §. IX. p. 67.
Inter pontificios auctus numerus ſanctorum, §. X. p. 67.
celebrata iubilaea, §. XI. p. 68.
noua feſta, §. XII. p. 69.
abrogata priſtina, §. XIII. p. 69.
ſeueritas ieiunii aucta, §. XIV. p. 70.
ſuperſtitiones ſeruatae, §. XV. p. 70.
Auctoritas papalis imminuta, §. XVI. p. 70.
Vitia curiae Romanae, §. XVII. p. 71.
purpura contra leges data, §. XVIII. p. 72.
patriarchatus *Vlyſſiponenſis*, §. XIX. p. 72.
vicariatus *Sileſiacus*, §. XX. p. 73.
patriarchatus *Aquilenſis*, §. XXI. p. 73.
controuerſiae pontificum cum imperantibus, §. XXII. p. 74.
diſciplinae ſtudium Benedicti XIII. §. XXIII. p. 75.
excommunicationis memorabilia exempla, §. XXIV. p. 75.
inquiſitionis fata, §. XXV. p. 75.
combuſtiones haereticorum et ſagarum, §. XXVI. p. 76.
conſtantia *Graecorum*, §. XXVII. p. 77.
patriarcha *Conſtantinopolitanus* ab officio deiectus, §. XXVIII. p. 77.
ritus ſeruati, §. XXIX. p. 77.
conſilia *Petri* I. de reformatione Ruthenica, §. XXX. p. 78.
regimen ſacrorum immutatum, §. XXXI. p. 78.
ritus conſeruati, §. XXXII. p. 79.

disciplina laxior, §. XXXIII. p. 79.
patriarcha Graecorum *Vngarus*, §. XXXIV. p. 80.

CAPVT QVINTVM de controuersiis religiosis, p. 80.

SECTIO PRIMA de controuersiis cum atheis, p. 80-103.
Huc referuntur Spinozistae, §. I. p. 80.
speciatim *Ioannes Tolandus*. Eius historia et scripta, §. II. p. 81.
aduersarii, §. III. p. 81.
Theodorus Ludouicus Lau, §. IV. p. 86.
Hattemistae. Eorum historia et aduersarii, §. V. p. 87.
errores, §. VI. p. 88.
Christian. Gabriel. Fischerus, §. VII. p. 90.
Io. Christian. Edelmannus. Eius historia et scripta, §. VIII. p. 91.
amici, §. IX. p. 93.
aduersarii, §. X. p. 94.
errores §. XI. XII. p. 95. 98.
Iulianus Offrey de la Mettrie, §. XIII. p. 100.
eius aduersarii, §. XIV. p. 102.
comes de Boulainvillers, §. XV. p. 103.

SECTIO SECVNDA de controuersiis cum hostibus religionis reuelatae, p. 103-196.
traditur, quinam hoc nomine designentur, §. I. p. 103.
et in hanc classem reiiciuntur ex Anglis, §. II. p. 104.
Anton. Ashley Cooper de Shaftesbury, §. III. p. 105.
Antonius Collins. Eius historia, §. IV. p. 107.
scripta, §. V. VI. p. 108. 110.
aduersarii, §. VII. p. 112.
disputatio de vaticinio, §. VIII. p. 113.
qui ei contradixerunt, §. IX. p. 115.
noua disputatio, §. X. p. 117.
noui hostes, §. XI. p. 118.
Guil. Lyons, §. XII. p. 119.

Thomas

Thomas Woolston. Eius historia, §. XIII. p. 120.
scripta, §. XIV. p. 121.
errores, §. XV. p. 125.
aduersarii, §. XVI. p. 127.
Matthaeus Tindal. Illius res gestae, §. XVII. p. 129.
ingenii fetus, §. XVIII. XIX. p. 129.
errores, §. XX. p. 132.
aduersarii, §. XXI. p. 133.
Bernardus Mandeville. Eius historia, §. XXII. p. 136.
fabula de apibus, §. XXIII. p. 136.
doctrina, §. XXIV. p. 137.
Albert. Radicati comes de Passerano. Eius fata et scripta, §. XXV. p. 138.
Thomas Morganus. Eius historia, §. XXVI. p. 141.
scripta, §. XXVII. p. 142.
errores, §. XXVIII. p. 144.
aduersarii, §. XXIX. p. 147.
Thomas Chubbius. Eius vita, §. XXX. p. 149.
scripta, §. XXXI. p. 150.
dogmata, §. XXXII. p. 153.
aduersarii, §. XXXIII. p. 156.
scriptor libri: *christianity not founded on argument*, §. XXXIV. p. 157.
scriptor libri de *resurrectione Christi*, §. XXXV. p. 158.
nonnulli alii, *Samuel Parvisb*, §. XXXVI. p. 160.
Io. Gilb. Cooperus, §. XXXVII. p. 160.
Dauid Humius. Eius scripta, §. XXXVIII. p. 161.
errores, §. XXXIX. p. 162.
Henricus, vicecomes Bolingbrokius, §. XL. p. 165.
eius scripta, §. XLI. p. 166.
errores, §. XLII. p. 167.
aduersarii, §. XLIII. p. 169.
ex *Gallis Voltaerius*, §. XLIV. p. 170.
Hubera virgo, §. XLV. p. 172.
Diderotius, §. XLVI. p. 174.
Io. Martinus de Prades, §. XLVII. p. 176.
Gesnardus, §. XLVII. b. p. 178.
ex *Belgis, Simon Tyssot de Patot*, §. XLVIII. p. 179.

Scriptor libelli: *nouvelles libertés de penſer*, §. XLIX. p. 180.
Hazfeldius, §. L. p. 182.
de la Serre, §. LI. LII. p. 183.
Argenſius et *Muralius*, §. LIII. p. 186.
ex Germanis *Io. Laur. Schmidius*. Eius hiſtoria, §. LIV. p. 187.
ſcripta, §. LV. p. 188.
errores, §. LVI. p. 189.
aduerſarii, §. LVII. p. 190.
Carolus Auguſtus Gebhardi, §. LVIII. p. 191.
eius errores, §. LIX. p. 192.
ſcriptores *Chronicorum*, §. LX. p. 193.
defenſores religionis Chriſtianae, §. LXI p. 194.

SECTIO TERTIA de controuerſiis cum antitrinitariis, p. 196-224.
Antitrinitariorum varia genera, §. I. p. 196.
Socinianorum ſtatus praeſens, §. II. p. 197.
Sam. Crellii hiſtoria, §. III. p. 198.
ſcripta, §. IV. p. 199.
Io. Ioach. Rolingius, aliique, §. V. p. 202.
Ariani. *Guil. Whiſtoni* vita, §. VI. p. 202.
monimenta, §. VII. p. 203.
aduerſarii, §. VIII. p. 209.
Thomas Emlyn, §. IX. p. 210.
Dan. Whitby, §. X. p. 211.
nonnulli alii, §. XI. p. 212.
Rob. Claytonus, §. XII. p. 214.
Subordinatiani. *Sam. Clarkii* hiſtoria et monimenta, §. XIII. p. 215.
dogmata, §. XIV. p. 217.
ſectatores, §. XV. p. 219.
Sabelliani. *Herm. Deuſingius*, §. XVI. p. 219.
Souuerainius, §. XVII. p. 220.
Paull. Maty, §. XVIII. p. 221.
Antitrinitarii philoſophici, §. XIX. p. 222.
Laus inſtituti *Moyeriani*, §. XX. p. 223.

SECTIO QVARTA de controuerſiis cum Arminianis, p. 224. 225.
Arminianorum magnus numerus, §. I. p. 224.
ſtatus in Belgio, §. II. p. 224.
Clericus et *Wetſtenius* ſocinizantes, §. III. p. 225.

SECTIO QVINTA de controuerſiis cum fanaticis, p. 225-277.
Fanaticorum varia genera, §. I. p. 225.
Anabaptiſtarum duplex claſſis, § II. p. 226.
Diſſidia *Belgicorum*, §. III. p. 226.
eorumdem doctores, §. IV. p. 227.
motus, quos IO. STINSTRA excitauit, §. V. p. 228.
Baptiſtarum *Anglorum* differentia, §. VI. p. 230.
Dogmata *particularium*, §. VII. p. 230.
ſententiae *generalium*, §. VIII. p. 231.
forma regiminis vtriusque partis, §. IX. p. 231.
doctores celebriores, §. X. p. 231.
origo *ſabbatariorum*, §. XI. p. 232.
Schwenkfeldianorum fata, §. XII. p. 233.
Adami Koepkii turbae, §. XIII. p. 233.
Quakerorum ſtatus, §. XIV. p. 234.
Beniam. Holmius, §. XV. p. 234.
Ioſ. Beſſius, §. XVI. p. 235.
Ioſ. Martin, §. XVII. p. 235.
Elwallus, §. XVIII. p. 236.
Collegiantium ſtatus, §. XIX. p. 236.
diſcrimen inter *Hollandicos*, §. XX. p. 237.
et *Friſios*, §. XXI. p. 238.
Inſpiratorum familia, §. XXII. p. 239.
Herrnhuthana ſecta. *Zinzendorfii* hiſtoria, §. XXIII. p. 240.
ſcripta, §. XXIV. p. 240.
amicorum monimenta, §. XXV. p. 246.
Coloniae *Herrnhuthanae* origines, §. XXVI. p. 248.
Propagatio eiusdem ſectae, §. XXVII. p. 250.
in prouincia *Budingenſi*, §. XXVIII. p. 251.
Holſatia, §. XXIX. p. 252.

Ebersdorfienſi, §. XXX. p. 253.
Gothana, §. XXXI. p. 253.
Sileſia, §. XXXII. p. 253.
Liuonia et Curonia, §. XXXIII. p. 254.
in *Belgio*, §. XXXIV. p. 254.
Suecia, §. XXXV. p. 255.
Anglia, §. XXXVI. p. 255.
in *Groenlandia* et *America*, §. XXXVII. p. 258.
Herrnhuthanorum doctrina, §. XXXVIII et XXXIX. p. 258. ſqq.
praxes, §. XL. XLI. p. 260.
Mandata principum contra eos, §. XLII. p. 264.
reſponſa theologorum *Tubingenſium*, §. XLIII. p. 264.
Saxonicorum, §. XLIV. p. 265.
aliorum, §. XLV. p. 266.
Factio *Ronsdorfienſis*, §. XLVI. p. 267.
Brugglenſis, §. XLVII. p. 268.
His adduntur *Dippelius*, §. XLVIII. p. 269.
eius ſectatores, §. XLIX. p. 270.
Erneſt. Chriſtoph. Hochmannus, §. L. p. 271.
Io. Chriſtianus Seizius, §. LI. p. 272.
Roemelingius, *Dauthius*, *Tennhardus*, *Trillerus*, *Eislerus*, §. LII. p. 272.
Tuchtfeldius, §. LIII. p. 273.
Fendius, §. LIV. p. 273.
nonnulli alii, §. LV. p. 273.
Io. Heynius. Eius ſcripta, §. LVI. p. 274.
dogmata, §. LVII. p. 275.
eius patroni, §. LVIII. p. 276.
aduerſarii, §. LIX. p. 277.
nonnulli alii fanatici, §. LX. p. 277.

SECTIO SEXTA de controuerſiis cum indifferentiſtis, p. 277-289.
Indifferentiſtae ipſi inuicem differunt, §. I. p. 277.
Craſſiores ſunt *Iac. Frid. Ludouici*, §. II. p. 278.
Adamus Berndius. Eius hiſtoria, §. III. p. 279.
dogmata, §. IV. p. 279.

aduer-

aduerſarii, §. V. p. 282.
Io. Michael de Loen. Eius ſcripta, §. VI. p. 283.
dogmata §. VII. VIII. p. 283.
aduerſarii, §. IX. p. 287.
Ioann. Paullus Trierius, §. X. p. 289.

SECTIO SEPTIMA de controuerſiis cum pontificiis, p. 290.
Propoſito dicendi ordine, §. I. p. 290.
exponuntur controuerſiae externae cum proteſtantibus, §. II. p. 290.
Io. Iac. Scheffmacherus, §. III. p. 291.
Franciſcus Seedorfius, §. IV. p. 293.
controuerſia Hildeſienſis, §. V. p. 293.
de cultu ſanctorum, de anno iubilaeo, de auctoritate librorum Maccabaeorum, §. VI. p. 296.
Molimina *Quirini*, §. VII. p. 298.
Epiſcopi Vindobonenſis & Gurcenſis, §. VIII. p. 301.
Weislingerus eique ſimiles, §. IX. p. 301.
Inter lites internas eminet bellum *Ianſeniſticum*, §. X. p. 302.
Bulla *vnigenitus.* Conſtitutionariorum et anticonſtitutionariorum diſſidia, §. XI. p. 302.
Ianſeniſtarum ſtatus in Belgio Auſtriaco, §. XII. p. 305.
et foederato, §. XIII. p. 305.
Anticonſtitutionariorum, maxime *Pariſii*, miracula, §. XIV. p. 306.
de his diſputationes, §. XV. p. 308.
Fabula conuulſionariorum, §. XVI. p. 310.
ſcriptores pro *Ianſenii* cauſſa, §. XVII. p. 312.
aduerſariorum monimenta, §. XVIII. p. 313.
Bellum *parlamentorum* cum epiſcopis, §. XIX. p. 315.
Lites Dominicanorum et Ieſuitarum de *gratia.* Patroni ſententiae Auguſtinianae, §. XX. p. 318.
Scriptores pro Ieſuitis. Controuerſia *Scipionis Maffeii*, §. XXI. p. 320.
Pugna de *probabiliſmo*, §. XXII. p. 321.
Fabula de reuelationibus *Agredanae*, §. XXIII. p. 322.

controuersia de cultu B. M. V. cum *Muratorio*, §. XXIV. p. 325.
turbae Salisburgenses, ob *Muratorium* excitatae, §. XXV. p. 329.
dissidia de auctoritate papae, §. XXVI. p. 330.
Controuersia *Courayeriana*, §. XXVII. p. 331.
Clausula huius sectionis, §. XXVIII. p. 332.

SECTIO OCTAVA de controuersiis Reformatorum, p. 333-370.
Argumenti tractandi ratio, §. I. p. 333.
Consilia pacis, inter Lutheranos et Reformatos instaurandae, §. II. p. 333.
renouata a *Iablonskiis*, §. III. p. 335.
Io. Maurit. Mommers, §. IV. p. 336.
Antonio van Hardevelts, §. V. p. 337.
Controuersia *Ioach. Langii* de gratia vniuersali, §. VI. p. 338.
Ant. Gottfr. Dreas de eadem re, §. VII. p. 339.
Lites *Anglicanae*, §. VIII. p. 340.
Controuersia *Henr. Dodwelli*, §. IX. p. 242.
Beniam. Hoadleii de iure episcopali, §. X. p. 342.
et de sacra coena, §. XI. p. 344.
Dan. Whitbii, §. XII. p. 345.
Arth. Asbl. Sykesii, § XIII. p. 346.
Guil. Warburtoni, §. XV. p. 348.
Conyer. Middletoni de miraculis, §. XVI. p. 350.
de vaticiniis, §. XVII. p. 356.
Familia *methodistarum*, §. XVIII. p. 359.
Eius historia, §. XIX. p. 361.
Disputatio de esu sanguinis, §. XX. p. 366.
aliae huius generis, §. XXI. p. 367.
Controuersia *Heluetorum* de formula consensus, §. XXII. p. 367.
Belgicae *Roellii*, §. XXIII. p. 368.
Guil. Deurhofii, §. XXIV. p. 368.
Iac. Saurini, §. XXV. p. 368.
Antonii Driessenii, §. XXVI. p. 369.

Pugna

Pugna de gratia vniuerſali inter Reformatos Transſiluaniae, §. XXVII. p. 370.

SECTIO NONA de controuerſiis fratrum Bohemorum, p. 370-373.
Status fratrum, §. I. p. 370.
controuerſia de eorum doctrina. §. II. p. 371.

SECTIO DECIMA de controuerſiis Graecorum, p. 373-381.
Cur paucae inter hos controuerſiae, §. I. p. 373.
noui quidam libri dogmatici, §. II. p. 374.
conſilia vnionis, a Romanenſibus propoſita Rutheni, §. III. p. 375.
Graecis Conſtantinopolitanis, §. IV. p. 375.
Vngaris, §. V. p. 376.
Diſſenſus inter eos et proteſtantes, §. VI. p. 376.
Acta *Zinzendorfianorum* cum Graecis, §. VII. p. 377.
Scripta polemica Graecorum, §. VIII. p. 378.
contra Graecos, §. IX. p. 379.
Sectae orientales, §. X. p. 380.
Ruthenicae, §. XI. p. 380.

SECTIO VNDECIMA de controuerſiis Lutheranorum, p. 381-407.
de quibus dicere, ſit animus, §. I. p. 381.
bella *pietiſtica*, §. II. p. 382.
nonnulla alia, ſub initio ſeculi geſta, §. III. p. 383.
controuerſiae de millenario regno recentiores, §. IV. p. 383.
de ἀποκαταστάσει, fautores erroris, §. V. p. 384.
aduerſarii, §. VI. p. 386.
de catechiſmo Stadenſi, §. VII. p. 388.
Io. Reinh. Ruſii de deſcenſu Chriſti ad inferos, §. VIII. p. 389.
Io. Caſp. Haferungii aliorumque de fide iuſtificante, §. IX. p. 390.
eiusdem *Haferungii* de Chriſto, legi naturae ſubiecto, §. X. p. 391.

Iochii de *desperatione salutari*, §. XI. p. 391.
de tempore conuersionis, num sciri debeat, et lucta poenitentiae, §. XII. p. 392.
de sacra coena priuatim administranda, §. XIII. p. 393.
de visionibus *Parisii* aliorumque, §. XIV. p. 394.
de hymnorum libro Northusano, §. XV. p. 394.
de ritibus sacris, §. XVI. p. 395.
de confessione priuata, §. XVII. p. 395.
Carpouianae de anima Christi, §. XVIII. p. 397.
et de satisfactione Christi pro ἀπιστίᾳ finali, §. XIX. p. 398.
aliorum de statu medio animarum, §. XX. p. 399.
de salutatione moribundis committenda, §. XXI. p. 400.
Wagneri de imagine Diuina, §. XXII. p. 401.
Neumanni de mortis naturalis necessitate, §. XXIII. p. 402.
Koscgartenii de statu exinanitionis Christi, §. XXIV. p. 403.
Schuberti de efficacia verbi Diuini, §. XXV. p. 404.

CAPVT SEXTVM de vexationibus Christianorum externis, p. 407-412.
dicendi ratio, §. I. p. 407.
persequutiones *Chinenses*, §. II. p. 408.
in *India* orientali, §. III. p. 408.
persequutiones euangelicorum a pontificiis susceptae, §. IV. V. p. 409.
in *Gallia*, §. VI. p. 409.
in *Germania*, §. VII. p. 410.
in *Vngaria*, §. VIII. p. 411.
in *Polonia*, §. IX. p. 412.

CAPVT SEPTIMVM de conciliis, p. 412-414.
Ex conciliis bina huc spectant, §. I. p. 412.
Lateranense, §. II. p. 413.
Ebredunense, §. III. p. 413.
Congregationes cleri in Anglia et Gallia, §. IV. p. 414.

[illegible]

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Walch, Christian Wilhelm Franz,

Christiani Gull. Franc. Walchii Theolog. Doct. Et Prof. Ordinar. In Academ. Georgia Augusta Compendium Historiae Eccleiasticae Recentissimae Ut Compendio Historiae Ecclesiasticae Gothano Supplemento Sit Adornatum

Gothae 1757

H.eccl. 1198
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10028261-6
VD18 11151242